D. B. P. ABBING,

DISSERTATIO LITERARIA

DE

PLUTARCHI INDOLE.

DISSERTATIO LITERARIA INAUGURALIS

DE

PLUTARCHI INDOLE.

DISSERTATIO LITERARIA INAUGURALIS,

QUA CONTINENTUR

OBSERVATIONES DE INDOLE PLUTARCHI, IN SCRIPTIS CONSPICUA,

QUAM,

QUOD DEUS BENE VERTAT,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

HENRICI EGBERTI VINKE,

THEOL. DOCT. ET PROF. ORD.,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE

IN PHILOSOPHIA THEORETICA ET LITERIS HUMANIORIBUS HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

DIDERICUS HENRICUS PETRUS ABBING,

BORCULO-GELRUS.

DIE XXV M. NOVEMBRIS, MDCCCXXXIX, HORA II.

ZWOLLAE,

Typis D. VAN STEGEREN,

MDCCCXXXIX.

PATRI

OPTIMO, CARISSIMO

SACRUM.

PRAEFATIO.

Qui in literis summos honores ambiat, ab eo graviora exigi, quam equidem hocce libello persolverim, optime intelligo. Quare, ne cui mea agendi ratio mira accidat, hae qualescumque observationes unde originem duxerint, quam brevissime potero, dicam.

Ante hos duos annos Academiae Trajectinae alumnus, cum eo studiorum pervenissem, ut specimina conscribenda essent, quibus et in Literis et in Jure Romano et hodierno summos honores adipiscerer, istiusmodi potissimum argumentum quaerendum esse duxi, quod utrique proposito responderet. Cui cum optime inserviret materies, ex antiquitate Romana petita, hortantibus etiam Viris Clarissimis, constitui disquisitionem conscribere cum literariam, tum juridicam, de Quaestoribus apud Romanos ab urbe condita usque ad Constantinum Magnum. Qua in re occupato, cum vix prima elementa collegissem, quibus specimina superstruerentur, accidit ut, quod mu-

nus, rebus meis me urgentibus, ambieram, Gymnasii Campensis Conrectoris, idem, ineunte anno praecedente, hujus urbis Senatus decreto honorificentissimo, mihi deferretur.

Quod cum et novitate sua, et magno discipulorum numero omne meum tempus sibi vindicaret, ut nullum meis studiis relinqueretur, consilium aliquamdiu differri debuit; mox vero otium suppeditaturum, quo opus inceptum absolverem, sperabam. Quae spes ne rata fieret, effecit Viri doctissimi ROELANDI VAN WIJK, JAC. FIL., *Gymnasii nostri Rectoris, morbus gravissimus, quo factum est, ut per totum fere annum omnis Gymnasii cura meis imperiti humeris incumberet. Quod quidem onus, quam grave fuerit, cum, eheu! magno cum Gymnasii nostri detrimento, exeunte anno, idem ille Vir doctissimus civitati literariae esset ereptus, unusquisque facile intelliget. Quae antea per intervalla mihi demandata fuerant Rectoris munia, eadem nunc sine intermissione erant obeunda. Quibus cum totus occuparer, eorumque mole obruerer, semper molesta spatii Academici nondum ad finem perducti, cogitatio erat: juventutis tamen curam meis honoribus anteponendam esse arbitratus, totum diem in discipulorum institutionem impendi. Nec hujus consilii me postea poenituit. Cum enim Viri Amplissimi, quibus in urbe nostra Rectoris creandi data est potestas, in suffragia mitterentur, quotidianam instituendi curam meis honoribus obfecisse reputantes, pro summa erga me*

liberalitate, ante hos septem menses, amici defuncti munus mihi mandaverunt, ea conditione, ut, quae legis impedimenta mihi summos honores nondum adepto, obstabant, intra hujus anni spatium ea amoverem. Videns igitur, aut intra tempus definitum summos honores esse petendos, aut provinciam oblatam esse repudiandam, cum ad opus inceptum perficiendum majus temporis spatium requireretur, de Quaestoribus agendi consilium distuli, alioque modo legi satisfacere, in praesens mihi proposui, sperans fore, ut in posterum otium mihi superet, in Jure Romano et hodierno studiis quoque cumulum imponendi, disquisitione de Quaestoribus absoluta.

Quaerenti autem argumentum, quod et intra brevissimum tempus expediri, et sine magna, qua in urbe nostra destitutus eram, librorum copia elaborari posset, cum in Graecis scriptoribus semper summa et humanitate et integerrimo ingenio Plutarchus me cepisset, plurimique ex ipso loci essent notati, observationes quasdam conscribere mihi visum est, quae faciant ad indolem hujus scriptoris cognoscendam. Cui opusculo, posteaquam Didericum Janum van Stégeren, *virum doctissimum eundemque amicissimum, collegam nactus eram, intra feriarum aestivarum spatium absolvendo, cum omnes intelligant, et ultimam limam deesse, et plurima festinationis indicia adhaerere, non dubito quin, unice ut promissis starem, adeoque legi satisfacerem, a me conscriptum esse, sint existimaturi. Hac spe fretus, si quem*

forte cupido ceperit hasce observationes legendi, eum ad hanc stateram meam operam esse exacturum, et spero et confido etiam. His monitis, quae praeterea profiteri gratus animi sensus me cogit, paucis absolvam.

Quis enim, quem Pater optimus eo beneficio cumulaverit, ut per sexennium in alma Musarum sede, Humaniorum literarum, ejusque, quae in suum cuique tribuendo cernitur, disciplinae sacris initiatus fuerit, non summa et voluptate et grati pectoris sensu se perfundi sentiat? Equidem quoties praeteriti sexennii memoriam recordor, toties animo obversantur praeceptores, a quorum ore pendens, optima praecepta, quae tradi possunt, percipiebam; amici, quibuscum Sallustiano illo, idem velle et idem nolle, *certae amicitiae vinculo eram conjunctus. Nec vero haec voluptas integra est atque illibata. Amici enim, pro parvo numero, multi, cum mihi tum omnibus bonis sunt erepti; de Praeceptoris morte necopinato nuntius ex Helvetia allatus, totam patriam, totam rempublicam literariam summo dolore conturbavit. Luget Academia Trajectina, lugent omnes, qui literis operam navant,* Heusdium, *lugent maxime ii, quibus contigit, Viri clarissimi privata consuetudine frui. Quicunque mecum illarum horarum vespertinarum et utilitate, et suavitate usus est, quicunque mecum, quoties Virum clarum adiit, summam comitatem, humanitatem, juvenumque excitandorum et artem miram et voluntatem propensam est expertus, omnes iique innume-*

ri intelligunt, quanto cum dolore mihi conjunctum sit jucundissimum ceteroquin grates agendi officium. Alii Viri merita ad omnes disciplinas pertinentia et celebrarunt et celebraturi sunt; quanta ipsius in me fuerint merita celare, cum pietas, tum gratus me animus vetat.

Tibi vero, Clarissime VAN GOUDOEVER! *qui una cum* HEUSDIO, *ex quo adii Academiam Trajectinam in interiorem amicitiam me recepisti, grati pectoris sensum profiteri et volo et possum. In quibus hoc primum mihi memorandum est, quod te valere et vigere renuntiatum sit, magno me gaudio afficere, illudque gaudium eo majus esse, quo gravior fuit calamitas, quae, filio optimo, eoque mihi amicissimo, erepto, domum tuam perculit. Is enim maxime effecerat, ut, quo cum eo conjunctus eram, amicitiae vinculo, idem patris amicitiam et benevolentiam summam mihi conciliaret. Ego igitur frequenter te convenire, rogare, consulere, tu semper et opera et consilio meis commodis prospicere. In hisce autem observationibus conscribendis, monitis optimis, te, Vir clarissime! mihi adfuisse, gratus profiteor. Quare si minus equidem in literis profeci, nec tuae, nec* HEUSDII *culpae tribuendum est. Hoc vero tibi velim persuasum habeas, me et grato animi sensu semper tuorum meritorum memorem futurum, et, quo me imbuisti literarum amorem, eum me nunquam depositurum esse, inque dies, adolescentes eodem imbuere studentem, confirmaturum.*

Qui amor ut excitaretur, adque alias etiam discipli-

nas extenderetur, tu quoque, Vir clarissime SCHRÖDER! *mihi auctor fuisti, qui et in sociorum numerum, philosophiae causa domum tuam ventitantium me adscripseris, et domestica consuetudine suavissima uti concesseris. E quibus quantum et dulcedinis et utilitatis capi possit, dici vix potest; omnes vero noverunt, quotquot interioris tecum commercii felicitate gavisi sunt. Quare vobis in primis, Duumviri Clarissimi! beneficiis me devinctum esse sentio, nihilque mihi gratius accidet, quam si vos eodem modo meis commodis prospicientes in posterum cognoverim. Quod ut vobis liceat, Summum Dei Numen precor, diu vos servet, in patriae emolumentum, vestrarumque rerum ornamentum.*

Vos omnes denique, VV. Clarissimi! quos in ordine et literario et juridico, praeceptores habui, vestra praecepta memori gratoque pectore esse recondita, ne dubitetis.

Nec vos hoc mihi loco praetermittendi estis, Viri doctissimi LENTING *et* KROON! *qui Gymnasium, quod Zutphaniae est, doctrina vestra ornatis. Vos enim me puerum primis literarum reliquarumque disciplinarum elementis imbuistis, vos adolescentem privata consuetudine honorastis, vos juvenis praeceptores non tantum, sed amici etiam paterni exstitistis. Quamobrem, quo magis experiundo cognosco, quanti habenda sint monita pueris tradita, quantum laborem vincere debeant, qui puerorum animum mobilem literarum suavitate perfundere velint, eo major est gratiae cumulus, quam vobis me debere et*

sentio et gratus agnosco. Vos pergite eadem amicitia et humanitate me prosequi, ita existimantes, me semper vestram erga me voluntatem et quantivis pretii habuisse et in posterum esse habiturum.

Tandem vobis, amici superstites! est valedicendum, paucis exceptis, per patriam jam dispersis. Haud minimum et utilitatis et voluptatis, quam vita Academica praebet, vestrae consuetudini me debuisse, semper praedicabo. In variis enim, quibus addictus fui sodalitiis, nunquam non et disputationum et jocorum in multam subinde noctem continuatorum recordabor. Quae quantum et suavitatis et ad ingenium excolendum momenti afferant, omnes experti sunt verae amicitiae sacris initiati. Vos omnes valete! Quod contraximus amicitiae vinculum, verum illud firmumque, maneat inque vita instante nunquam metae Academicae oblivio nos capiat. Vos omnes mei memores estote, quemadmodum ego vestri memoriam semper sanctissime sum culturus.

Scripsi *Campis*
m. Octobri MDCCCXXXIX.

INTROITUS.

Plutarchus, patria Graecus, natus est Chaeroneae, in nobili Boeotiae urbe, primo seculo nostrae aerae fere dimidiato. De parentibus unice constat Lampriam avum et Nicarchum proavum, fuisse viros eruditionis laude conspicuos. Quis vitae cursus fuerit, non est, quod accurate persequar. Athenis, Ammonio duce, eum philosophiae operam dedisse, e scriptis philosophicis apparet (1). Quamvis viveret ea aetate, qua literarum flos dudum emarcuerat, legendis antiquis Graecorum scriptoribus et aliis et philosophis, maxime Platone, sic imbutus est aureae aetatis praestantia, ut ipse scribendo hanc plane referret. Per totam vitam, maxime senescens, in scribendis operibus occupatus fuit, ut

(1) Quomodo adul. ab amico internosci possit. c. 45. ed. *Hutten.*, quam ubique secutus sum, unico libro de sera numinis vindicta excepto.

vix apud antiquos philosophus exstiterit, qui tam multa eaque tam egregia scripserit.

De rebus ipsius gestis non satis constat. Ipse indicat se Romae procurasse negotia, aliisque ducem se praestitisse in rebus philosophicis (1). Minoris momenti rebus etiam eum operam dedisse ex alio loco patet (2). In eodem libello juvenem se legatum ad proconsulem missum esse, memorat (3). Acceptus fuit Trajano, ab eoque publicis muneribus ornatus. Suida auctore, cui num fides habenda sit, valde dubito, Trajanus eum participem fecit consularis dignitatis, et edixit, ne quis de magistratibus in Illyride degentibus quidquam sine ipsius sententia consensuque perageret (4). Ultimos vitae annos in patria degit, auctus honore sacerdotii Pythii Apollinis (5).

Verum, ut dixi, non mihi est propositum in Plutarchi vitam publicam, resque ejus gestas inquirere; aliud est, quod mihi tractandum sum-

(1) Demosth. c. 2.

(2) Reip. ger. praecepta c. 15.

(3) Ibidem. c. 20.

(4) v. *Suidas* in voce.

(5) An seni ger. sit. resp. c. 5.

si, argumentum. Reputanti enim, quaecunque eo faciant, ut aliqua ex parte viri praestantissimi indoles, agendi sentiendique ratio cognoscatur, gratissima fore omnibus, quorum mentem summus vir ceperit, cum in legendis ejus operibus, maxime autem clarorum virorum vitis plurima nobis occurrant, quae ad indolem viri perspiciendam quantivis sunt pretii, hac de re paucas observationes conscribere, non alienum mihi videbatur. Plutarchus saluberrimum hoc tradit praeceptum, memoriam virorum inter antiquos clarorum, et tum sapientia, tum virtute praestantium, usurpandam esse, ut ad illorum exemplum, tanquam ad normam, quidquid suscipias, exigas: »ob oculos, inquit, nobis ponere debemus exempla bonorum virorum, quid facturi fuerint, nostro loco constituti, nec tantum bona eorum facta suspicere, verum et imitari nos decet, ut veluti in speculum, in eorum virtutes intuentes, ornemus nos atque componamus, vel vocem aliquam indignam corrigentes, vel animi motum reprimentes" (1). Ipse

(1) Quomodo quis suos in virt. par. sentire possit profectus, c. 14 et 15. Cf. locus *Senecae*, quem citat *J. K.*

indicat in describendis vitis se versari etiam sui ipsius causa; dicit enim, se hoc facere, ὥσπερ ἐν ἐσόπτρῳ, τῇ ἱστορίᾳ πειρώμενον ἀμωσγέπως κοσμεῖν καὶ ἀφομοιοῦν πρὸς τὰς ἐκείνων ἀρετὰς τὸν βίον (1). Istius modi locis, quae plurima apud Plutarchum inveniuntur, adductus, ex ipsius scriptis plurima repeti posse arbitratus sum, e quibus imago viri quodammodo adumbrari possit. Simplex enim et candidus, ita in virorum summorum vitis et moribus describendis versatur, ut, quid utile vel secus, quid fugiendum vel sequendum sit, ita nos doceat, ut ipsius viri ingenium nobis occultum esse non possit. Itaque quemadmodum ipse in virorum clarissimorum virtutes intuens, vitam suam ad eorum exemplum componebat atque confirmabat, ita in vitis summorum virorum a Plutarcho conscriptis, videor mihi, tamquam in speculo nitidissimo, saepius ipsius viri indolem repraesentatam animadvertisse. Quae cum ita sese habeant, operae pretium esse duxi, cum mihi necessitas incumberet, summos in literis honores quantocius pe-

---

Mücke in progr.: *Plutarcho* duce, quomodo suos quisque in virtute profectus possit animadvertere. Lips. 1791. p. 15.

(1) Aem Paul. c. 1.

tendi, quaedam colligere, quae faciant ad Plutarchi, viri inter antiquos praestantissimi, cogitandi rationem cognoscendam. Neque enim omnia animadvertere atque componere mihi licuit: »Plutarchi ingenium doctrinamque peculiariter explicare, dotes interius perspicere, earum modum rationemque expendere, censuram agere," ut monuit summus Wyttenbachius (1), hoc sane esset opus magnae molis, cui nec meae vires pares sunt, nec angustum temporis spatium, quo circumscriptus teneor, sufficit. Quocirca quaedam tantum animadvertam, eaque maxime petita e clarorum virorum vitis parallelis. Cum enim in scriptis interioris doctrinae exstet obscuritas quaedam, orta e philosophandi ratione, qua illius aetate omnium cum rerum humanarum, tum divinarum studia commiscebant, a quo studio, etsi Plutarchus philosophiam ad antiquorum Platonicorum normam exigere studebat, inesse tamen plurima in scriptis esotericis, quae nos lateant, negari non potest; cum igitur hanc ob causam de vera Plutarchi sententia non semper satis constet, pau-

(1) Praef. ex edit. *Plut.* moralium. vol. I. opusc. Tom. I. p. 267.

ca tantum ex iis attigi, et omnino hisce scriptis caute utendum esse duxi. Fontibus recentioribus neque uti potui multis, in domicilii urbe subsidio majoris bibliothecae destitutus, neque magnopere utendum esse ratus sum, existimans ad hasce observationes omnia e Plutarcho ipso esse repetenda. Quae in legendo Plutarcho maxime ad id quod mihi propositum est, referenda mihi videbantur annotavi, annotata collegi, collecta, quantum ejus fieri potuit, ordinavi et ad paucarum § § numerum adduxi. Lectores autem, si qui forte inveniantur, teneant velim, quae monui in praefatione, sparsas has esse observationes, breves abruptasque; maxima cum festinatione et collectas et conscriptas, in quibus si quae addita sunt, quae ad ipsam § pertinere non videntur, excusent me difficultate laborantem, paucis §§ includendi, quae, si rite componantur atque elaborentur, et magnopere augeri et justi libri volumen implere possent, aliquoties, quo fieri poterat, optimo modo, inseruisse, quae, etiamsi ad ipsam non pertinentia §, tamen haud praetermittenda videbantur.

OBSERVATIONES
DE
INDOLE *PLUTARCHI*,
IN SCRIPTIS CONSPICUA.

§ 1.

BONI HONESTIQUE STUDIUM.

—— ἡ ἀρετὴ, ὥσπερ ἰσχυρὸν και διαρκὲς φυτὸν, ἐν ἅπαντι ῥιζοῦται τόπῳ, φύσεώς τε χρηστῆς, καὶ φιλοπόνου ψυχῆς ἐπιλαμβανομένη.

Plut. Demosth. c. 1.

In introitu observavi Plutarchum inter alia id egisse vitis conscribendis, ut suos mores emendaret. Quo in consilio suo explicando cum uberrimus sit, optime inde boni honestique studium probari potest. Etenim cum e loco allato, tum ex aliis jam primo adspectu nobis apparet, Plutarchum virum fuisse, quem Ho-

ratius dicit, *virtutis verae custodem, rigidumque satellitem.* Fusius ipse, quo studio boni honestique ferebatur, explicat initio vitae Periclis: » Culpandi sunt, qui ardore discendi et contemplandi, qui in animo nostro inest, τῷ φιλομαθεῖ καὶ φιλοθεάμονι, honestis et utilibus praetermissis, ad vana et audienda et spectanda abutuntur. Sensu enim externo necessarium est, ut affectione rerum externarum, ea, quae obveniunt, suscipiens, quodcunque appareat, sive utile sive inutile sit, spectet, τῷ νῷ δ' ἕκαστος εἰ βούλοιτο χρῆσθαι, καὶ τρέπειν ἑαυτὸν ἀεὶ καὶ μεταβάλλειν ῥᾷστα πρὸς τὸ δοκοῦν πέφυκεν. Debet igitur optima persequi, quo non contempletur modo, sed et alatur contemplando. Prouti color non gratus erit, nisi floridus simul et suavis oculos recreet alatque, ita mens ea tantum spectare debet, quae et oblectant et ad propria bona eam adducunt. Sunt haec posita ἐν τοῖς ἀπ' ἀρετῆς ἔργοις, quae apud eos, qui ejusmodi spectacula noscitarunt, et aemulandi et imitandi studium excitant. In aliis rebus non continuo, quae admiramur, eadem imitari studemus: vilium artium opera saepe laudamus, opifices contemnimus. Quae nobis ad imitandum proponimus, cum boni, cum ho-

nesti studio conjuncta esse debent. Quae neque excitant imitandi studium, neque similia perficiendi ardorem, spectantibus unice grata, ἀλλ' ἡ γ' ἀρετὴ ταῖς πράξεσιν εὐθὺς οὕτω διατίθησιν, ὥστε ἅμα θαυμάζεσθαι τὰ ἔργα, καὶ ζηλοῦσθαι τοὺς εἰργασμένους· τῶν ἀπ' ἀρετῆς ἀγαθῶν, τὰς πράξεις ἀγαπῶμεν ab aliis accipere, multo etiam magis aliis tradere cupimus; τὸ γὰρ καλὸν ἐφ' αὑτὸ πρακτικῶς κινεῖ, καὶ πρακτικὴν εὐθὺς ὁρμὴν ἐντίθησιν, ἠθοποιοῦν, οὐ τῇ μιμήσει τὸν θεατὴν, ἀλλὰ τῇ ἱστορίᾳ τοῦ ἔργου τὴν προαίρεσιν παρεχόμενον; honestum summa vi ad se rapit, spectantis mores emendat, ipsique praecepta vitae suppeditat." (1)

Hanc ipsam ob causam ea maxime arripit in vitis conscribendis, e quibus animus summorum virorum elucet. Dicit se non historias, sed vitas conscribere, cumque saepius facta minoris momenti, dicta jocique magis viri virtutes et vitia ostendant, quam res maximae gestae, bella gravissima, urbes potentissimae expugnatae, ea maxime perscrutatur, quae valent ad mores cognoscendos. (2)

(1) *Plut.* Per. c. 1 et 2. Cf. de audiendis poëtis c. 10.

(2) Alex. c. 1. Cff. Cato maj. c. 7. *Plut.* epist. ad Traj.

Recte ille perspectum habuit, aliud esse vitas, aliud historiam conscribere: ut enim in illo genere homines potissimum spectantur, ita in hoc res gestae. Historici non est dicere de hominibus, nisi quatenus cum rebus gestis conjunguntur: biographus tantum res gestas attingit, quatenus cum actoribus connectuntur. Fieri potest, ut alter in alterius transeat castra, sed forma et ratio prorsus diversa est. Sic Plutarchus etiamsi interdum, data opportunitate in rebus bellicis describendis divagetur, in accurata belli Cimbrici historia in Mario, in copiosa descriptione belli Mithridatici, duce Lucullo, in Crassi et Antonii in Parthos expeditionibus describendis; vel sic tamen in his ipsis minus, quam primo adspectu videatur, biographi partes deserit, sed semper magis ipsius imperatoris animum, quibusnam agitaretur motibus, quam exercituum motus attendisse videtur. Multa autem recepit hoc genus, quae germanae historiae repudiat majestas, multa con-

---

praefixa ejus regum et imper. apophth. Cato min. c. 24 et 37, Per. c. 7, Agesil. c. 29, de quibus fusius agemus § 3. Separatim omnia memorare historiae munus esse tradit Galba c. 2. Cf. *Franke* in Jahrb. für Phil. und Paed. von *Seebode*, *Jahn* und *Klotz*. 8er Jahrg. 23 b. 3 h. p. 303. sqq.

tra excludit, quae perpetuae narrationis ambitus complectitur. Plutarchus natura sua erat biographus, res publicas, inprimis ubi in magno theatro, a callidis aguntur viris, non semper perspectas habet, sed provocat ad discrimen biographum inter et historicum (1). Ipse dicit se res gestas ab aliis historicis traditas eatenus exponere, quatenus viri ingenium et animi motus explanent, accurate vero traditurum, quae indolem viri moresque ob oculos ponant: reliquam adeo historiam ἄχρηστον dicit (2). Vitae Plutarcheae dijudicandae sunt ex regulis, quas ipse sibi praescribit: si ex nostra judicandi ra-

(1) Cff. Pomp. 8 Artax. 8. Fab. Max. 16. *Heeren*, Ueber den hist. Werth der biogr. Plut. Hist. Werke tom. III, p. 39, ita disserit: » Allerdings darf man nicht den tiefen und scharfen politischen Blick eines Thucydides und Tacitus bei ihm erwarten; seine Ansichten sind die, welche fast immer aus den ruhigen historischen Studien, wenn sie mit Philosophie gepaart waren, hervorgegangen sind."
Iniquius tamen judicat *Schoell*, Gesch. der Gr. Lit. Berlin, 1830, tom. II, p. 414 dicens: » Seine Ansichtsweise ist die eines Gelehrten, der mit dem Staatsleben unbekannt, sich von groszen Namen leiten und von Ideen einnehmen läfst, die sich als nichtig erweisen, sobald sie in das Leben treten sollen."

(2) Nicias, c. 1.

tione exquiras, multo plura a biographo exigas, a Plutarcho neglecta (1).

Virorum praestantissimorum vitas assidue secum recolens, quidquid labis vel vitii vel turpitudinis contraxisset e consuetudine eorum, quibuscum commercium erat, elidebat atque propellebat, ad elegantissima exempla mentem convertens. Nullum gaudium majus nec ad mores excolendos efficacius statuebat, contubernio et convictu summorum virorum, quo eos excipias, reputesque cum animo, qualis quantusque vir fuerit, indeque desumas, quae praecipua sunt et cognitu pulcerrima ad mores emendandos (2).

Non vero majorum virtutibus laus quaerenda est; vir probus suae sibi virtutis conscius, cum illorum gloria suam conjungit, ad praeclarissima domestica exempla suam vitam componens (3).

---

(1) Cff. verba *Ulrici* p. 72 mox afferenda, *Heeren* l. l. p. 26. *Creuzer*, hist. Kunst der Gr. p. 220.

(2). Aem. Paul. c. 1.

(3) Arat. c. 1. Cff. Lyc. c. 27. Aem. Paul. 5. oratio Marii apud *Sall.* B. Jug. c. 85. Caeterum de utilitate, quae e vitis praestantissimorum virorum capi potest, optime disserit *Middleton*, Preface to the life of Cicero, initio: » There is no part of History, which seems capable of yielding either more instruction or entertainment, than

Quum igitur Plutarchus, ipse boni honestique vindex acerrimus, in vitis summorum virorum virtutis amorem inculcare studeat, dicas eum non semper sibi constitisse, qui et in pravorum virorum vitis describendis fuerit occupatus. Cum enim omnibus locis hoc sibi fundamentum jacere videatur, ut bonis exemplis propositis, homines ad virtutem adducantur, mirum videri debet, eum in Demetrii Antoniique vitis ab hac ratione recessisse. Ipse vero nobis hujus rei causam reddit. » Non alienum sit, inquit, eorum, qui sibi temperare non potuerunt, atque in imperio summoque loco collocati, insigni fuerunt improbitate, unum aut alterum par, vitarum exemplis intexere, non quo voluptatis mehercle, atque ut lectores oblectemus, variis imaginibus illustremus nostra scripta, sed

that, which offers to us the *select lives* of great and virtuous men, who have made an eminent figure on the public stage of the world. In these we see, at one viewe, what the annals of a whole age can afford, that is worthy of notice; and in the wide field of universal History, skipping as it were over the barren places, gather all it's flowers, and possess ourselves at once of every thing that is good in it." De ipso Plutarcho tanquam Biographo Cff. praeterea *Joh. v. Müller*, Sämmtl. Werke, Th. IV p. 316, Th. XVII, 235, Allg. Gesch. th. V, 11, *Jean Paul*, Levana. P. III p. 779.

ut Thebanus Ismenias discipulis suis ostendens, tam eos, qui bene, quam qui secus tibia canerent, solitus erat dicere, ita canendum, ac contra, ita canendum non est; sic, ut mihi videtur, nos quoque acrius meliores vitas spectabimus atque imitabimur, si neque perversarum et non probatarum sumus rudes (1).

---

(1) Demetr. c. 1. De honesto, quod sibi Plutarchus propositum habuit, ita agit *Ulrici*, ant. historiog. p. 72. » Tritt uns in ihm der poetische Charakter der Griechischen Geschichtschreibung noch einmal in einer gewissen Natürlichkeit und Unverdorbenheit entgegen, so ist andrer Seits das Politisch rhetorische Element dem moralischen gänzlich gewichen. Zum Theil mag diesz wohl in dem Stoffe seiner historischen Schriften seinen Grund haben. Die Biographie soll vornehmlich das innere, geistige Leben, den Charakter der Personen zn erfassen und darzustellen suchen. Allein die äuszere, politische Thätigkeit und Wirksamkeit derselben, deren Plutarchus oft nur wie beiläufig gedenkt, kann auf keine Weise von ihr ausgeschlossen werden."

Nec ego Plntarchum e nostra cogitandi ratione summnm Biographi exemplar dicendum existimo, ipsius vero agendi rationem cum eodem et ex temporum conditione et ex viri indole explicandam censeo: ita enim pergit: » Besserung und Wiederherstellung der Sitten schien desto würdiger Zweck, je mehr nnd mehr sie zu verfallen begannen. Ihn verfolgten daher die besseren Geschichtschreiber, und Plutarchus ist unter den Griechen als der erste zn bezeichnen, welcher ihn mit Klarheit nnd Bewusztsein als leitendes Grundprincip in 's Auge faszte." Cff. p. 137, 155 et 239.

Quare minime calculum adjicimus iis, quae tradit *J. F. Schaarschmidt* in quaestionibus, quid Plntarchus vitis illustrium virorum comparandis spectaverit. Schneeb. 1808 et

Ita cum censeret veram virtutem robustae instar plantae, omni in loco radices agere, contendit, nihil referre ubi et unde quis natus sit. Si minus recte sumus morati, non est, quod hoc oppidi angustiis, sed nobismet ipsis tribuamus (1). Vera virtus consilio firmata nulla unquam fortuna videtur deflectere in contrarium (2).

Miro amore ductus generis humani, Plutarchus delectatur bonis factis, nec facile ea praetermittit, etiamsi ad reliquam narrationem non plane pertineant, illud *homo sum, nihil humani a me alienum puto*, nobilissimo ita sensu usurpans.

Disertis verbis hoc ipse testatur, ubi Lucii Albini in servandis virginibus Vestalibus pietatem memorat; » *τὴν μὲν οὖν Ἀλβίνου πρὸς τὸ θεῖον εὐλάβειαν καὶ τιμὴν, ἐν τοῖς ἐπισφαλεστάτοις καιροῖς ἐκφανῆ γενομένην, οὐκ ἄξιον ἦν ἀμνημόνευτον παρελθεῖν*" (3). In Pyr-

---

1810, contendere ausus: Plutarchum muneribus publicis sub Trajani imperio functum, scribendis vitis parallelis hoc unum spectasse, ut celebraret virtutem et gloriam gentis Romanae, quippe tot hominum omni in genere magnorum, eorumque non solum Graecae, sed etiam cujusque alius gentis humanitate et virtute excellentis hominibus summis ac nobilissimis comparandorum, procreatricis atque almae matris.

(1) Demosth. c. 1.

(2) Sert. c. 10.

(3) Camill. c. 21.

rhi vita mirifice sibi placet in Fabricii virtute memoranda et praedicanda (1). Praeter honestum nullum actioni finem propositum esse debere, saepius affirmat (2).

Quanta autem humanitate excelluerit, magis etiam nobis patebit, ubi ad ipsius summorum virorum res gestas dijudicandi rationem attenderimus, quae quidem tanta fuit in virorum moribus et rebus gestis decribendis, ut boni historici officio interdum nocere videatur. Sed ipsum hac de re audiamus, ubi tanquam normam scribendi hanc statuit: ut pictores, inquit, qui pingunt imagines pulcras et venustas, si quid iis inest levis vitii, neque plane praeterire, nec prorsus exprimere volumus, quippe hoc deformem, illud dissimilem effigiem reddat, ita, quandoquidem difficile est, seu potius omnino fieri non potest, ut hominis ullius vitam, quae omni labe vacet immunisque sit, ostendas; in honestis verum tanquam simulacrum supplendum est: quae vero sive animi motu, sive reipublicae temporibus, cum actionibus conjuncta

(1) Pyrrh. c. 20 Cff. Demetr. c. 24. Aem. Paul. c. 5 et 28.

(2) Reip. ger. praec. c. 3. Cff. quomodo quis in virt. par. sent. possit. prof. c. 7, de cap. ex host. util. c. 3 et 10.

commiserunt peccata, potius existimantes a summis viris commissa, virtute deficiente, quam improbitate dominante, non debemus nimium diligenter et ad amussim in scribendo explicare, sed parcentes humanae naturae, quae nihil quod revera bonum sit sine ulla macula, neque mores proferat, qui, si ad virtutem exigantur, omni vitio careant (1).

Cui fundamento convenit ipsius dijudicandi ratio, qua fere semper e duabus variis narrationibus mitiorem eligit (2), adeo, ut vel excuset vitia et refellat, vel saltem diminuere studeat. Ita Bruti facinus mitigat, dicens eum rem perpetrasse, quam nemo vel laudaverit satis vel vituperaverit; ipse vero laudantis partes suscipit (3).

Boni justique studio ductus, viros summos contendit ea instituere non potuisse, quae a virtute sint aliena. Invehitur in eos, qui Lycurgi leges culpant, ipsique Cryptiam institutam tribuunt, serioribus demum temporibus atrocia il-

(1) Cimon, c. 2.

(2) De Herod. malign. c. 4.

(3) Poplic. c. 6.

la orta esse contendens (1). Ubi vero non potest non commemorare facinora improba, a summis viris perpetrata, dolet humanam vicem, quae non in omnibus virtutem exercere valeat, ipsiusque hominis imbecillitati, fortunae, rerum humanarum vicissitudini ea tribuit (2). Ita, quantum potest, injusta clarorum virorum facta mitigare studet, eam humanitatem, eam modestiam observans, quam, a patre edoctus, in tota vita retinuisse videtur (3). Ideo ira abreptus vehementer invehitur in eos, qui magnos viros aggrediuntur, calumniandi causa, ipse a vituperando maxime alienus (4).

Ipse sibi conscius, quantae molis sit in historia verum assequi, cum posterioris aevi homines in cognoscendis rebus tempore impediantur, rerum gestarum historia ab aequalibus conscripta, partim invidia et odio, partim gratia et adulatione verum obscuret; culpat eos, qui inimicitiae causa, aut partium studio ducti, hominibus

(1) Lycurg. c. 28.

(2) Cleom. c. 16.

(3) Reip. ger. praec. c. 20, Cff. Rom. c. 23, Sertor. c. 10, Pericl. c. 10, Brut. c. 46, Comp. Alc. cum Coriol. c. 3., Cimon, c. 4 et 15. Alex. c. 51.

(4) Comp. Pel. cum Marc. c. 3.

praestantissimis maculam adspergant (1); ψέγειν, inquit, ἥδιον ἢ ἐπαινεῖν (2): homines magis ad vituperandum, quam ad laudandum sunt proclives: nec vero aequum est in re narranda odiosissimis nominibus uti, cum in promptu sint molliora: qui vero speciosis nominibus utentes, iniqui sunt, quive voces hinc inde avulsas aut dicta adoriuntur, neque accurate in ipsam rem inquirunt, ii summae malignitatis sunt accusandi (3).

Nec mirum, Plutarchum semper, data opportunitate, in istos calumniatores invehi, qui ipse tanta humanitate duceretur, ut nec servos nec bestias ab ea excluderet: » benignitati, inquit, quam justitiae latior patet campus: lege et justitia erga solos homines uti possumus; beneficentia et favor se extendunt nonnunquam ad bruta animalia, quippe velut ex largo fonte emanantes ex mansuetudine: animalibus et servis non utendum est, ut calceis, quos attritos projicimus; in his vero docendi sumus humanita-

(1) Pericl. c. 13, Demosth. c. 22, Alcib. c. 3.

(2) Lys. c. 30.

(3) De Herod. malign. c. 1. 2. Cf. Non posse suav. vivi sec. Epic. c. 1.

tem, qua erga cives utamur" (1). Ita Plutarchus suavissimo misericordiae sensu ductus, eandem in lectorum animis excitare studet, verbis affectu plenis (2).

Quamvis igitur non improbem eorum sententiam, qui Plutarchum boni honestique studio ductum, aliquando justo satius virorum summorum vitia excusare censeant, non tamen hoc ita intelligi velim, ut Plutarchus vitia virorum vel reticuisse omnino, vel non reprehendisse dicatur. Saepius enim summis viris haudquaquam parcit. Exempla congerere supervacaneum est, cum in quaque fere vita hujus rei vestigia in oculos incurrant (3).

Summa vero modestia ductus, Plutarchus atrocia minus vulgat. Ita, quamvis non improbet, summos viros sese laudare, ubi hoc faciant calumniae, aut accusationis depellendae gratia, sive, ut alios hortentur, sive ut veri causam agant (4), minime hoc faciendum esse conten-

(1) Cat. maj. c. 5. Cf. *Gellius*, Noct. Att. I, 26.

(2) Aem. Paul. c. 33.

(3) Cff. Rom. c. 22 et 26, Comp. Lyc. cum Numa, c. 4, Solon, c. 23. Arist. c. 3, Alex. c. 12. Demetrium et Antonium passim culpat.

(4) Qua quis ratione se ipse sine invidia laudet. c. 2, 4, 15.

dit, gloriae aut gratiae captandae causa, sed ita ipsis agendum esse ducit, ut omnia ne sibi arrogent, alia vero fortunae, alia Deo accepta ferant (1), ideoque culpat Ciceronem, qui facultate orationis usus sit, ut suas laudes celebraret, suas res gestas praedicaret; laudat vero Demosthenem, qui hac parte gravior fuerit et prae caeteris excellens (2). Ideo de rebus gravissimis pronuntiare dubitat, maximaque cum pietate praesertim de rebus divinis disserit (3).

E Plutarchi judicandi ratione, ut nobis videtur, satis probavimus, eum *virtutis verae custodem rigidumque satellitem* esse semper studuisse: multa addi possint e scriptis philosophicis, e quibus idem appareat. Verum hoc nobis non data opera proposuimus, unice id agere voluimus, ut varias, quas memoravimus, Plutarchi artes, ad boni honestique studium referendas esse efficeremus. De quibus cum infra etiam dicendi locus sit futurus, his missis, ad § 2 progredimur, paucis expositori Plutarchi veri justique studium.

---

(1) Ibidem, c. 2 et 10.

(2) Comp. Dem. cum Cic. c.2, Cf. Cic. c. 24.

(3) De sera num. vind. ed. *Wytt.* p. 10. Cf. infra § 4.

§ 2.

VERI JUSTIQUE STUDIUM.

Οὐδὲν ἀνθρώπῳ λαβεῖν μεῖζον, οὐ χαρίσασθαι θεῷ σεμνότερον ἀληθείας.

Plut. de Isid. et Osir. c. 1.

De Plutarcho veri studioso agere, res est una in paucis difficillima, si quidem inquirere velis, quatenus in vitis conscribendis veram criticam adhibuerit, quatenus in iis ipsi fides sit habenda. Aliquando veri studio obfuisse flagrantem virtutis amorem, humanitatem maximam, verbo jam § 1 memoravi. In ipsas vitas inquirere, fontes dijudicare, quibus usus sit Plutarchus, quaque ratione in his utendis versatus sit, exponere, et ab his observationibus alienum est, nec paucis absolvendum. Non enim id ago, quid a Plutarcho biographo postuletur, quaenam hoc nomine ipsius laudes sint, quaenam vitia, ubi veritatem historicam observantem, ubi ab ea aberrantem deprehendas, et vero hoc esset peculiaris maximi momenti disquisitionis. Ad indolem vi-

ri cognoscendam sufficit, quanti ipse habuerit veri studium, attingere, additis ex ipsis vitis, e quibus eum verum voluisse apparet.

Verum cognoscere, illudque studiose amplecti, res est tantopere amanda, tamque desideranda, ut ipsum hoc vivere et esse propter cognitionem data videantur (1): θεῖον ἡ ἀλήθεια, καὶ πάντων μὲν ἀγαθῶν θεοῖς, πάντων δ' ἀνθρώποις ἀρχὴ κατὰ Πλάτωνα (2). Ipse optime noverat, quantae difficultatis sit verum invenire, eamque multo majorem esse, si quis oppidum exiguum incolat, ut § 1 observavi (3). Ideo non facile asseverat, de quibus non satis constat, nec nimia virium fiducia fretus, ea aggreditur, quae humeri ferre non valeant. Ipse saepius indicat; se imperitia rei, a vero aberrare potuisse. Quod explicandum ex magna, quam verbo jam attigimus, modestia (4). Sero et aetate provectiori se Latinam linguam edoctum fuisse dicit, adeo ut non res ex verbis, sed verba e rebus cognosceret, ideoque comparationem non instituit in-

(1) Non posse suav. vivi sec. Epic. c. 10.

(2) Quomodo adul. ab amico internoscatur. c. 1.

(3) Per. c. 13, Cf. Demosth. c. 2.

(4) Cf. § 1, fine.

ter Demosthenis et Ciceronis eloquentiam, delphini hoc in terra vocans vim, τοῦ γνῶθι σαυτὸν semper memor (1). Eandem linguae imperitiam profitetur alio loco (2). Nec vero admodum parvam ipsius Latinae linguae notitiam fuisse, contenderis. In rebus cognoscendis saltem ipsi aut non nocuisse, aut Graecis cum scriptoribus familiaritate non obfuisse, e pluribus locis patet, quibus ipsorum verborum Latinorum vim rectissime explicat, Latinorumve scriptorum verba ita exhibet, ut vero illud nocere non videatur (3).

In rebus obscuris aut ultra tempora historica remotis, affirmare dubitat (4), fabulas saepius rejicit (5), interdum causam reddit, quare eos potissimum scriptores sequatur, qui verum scire potuerint (6), studio partium falsos esse ali-

(1) Demosth. c. 2 et 3.

(2) Cato maj. c. 7.

(3) Cff. Marc. c. 22 et 24, Cato maj. c. 1. Marius, c. 8. Cf. *Sallust.* Bell. Jug. c. 64, Sulla, c. 37. *Heeren*, l. l. comm. III, p. 398, sqq.

(4) Demosth. c. 4. 15, Lyc. c. 1 et 19, Marc. c. 11. Thes. c. 1 et 2, Numa c. 8.

(5) Rom. c. 12, Numa, c. 15.

(6) Artax. c. 2, Dion, c. 31.

quando memorat (1), in refutandis opinionibus summa humanitate utitur (2). Ita, cum verum propugnaret, tamen saepe eum, sive oppidi angustiis conclusum, sive nimia humanitate, sive perversa critica, seu, quod ex imbecillitate humanae naturae oritur, partium studio ductum, seu ingenti mole obrutum, sive alias ob causas falsum esse, non est, quod negem. Sufficiat, veri amorem indicasse.

Qui amor proxime conjunctus erat cum summo discendi ardore, Musarumque commercio, cui ipse plurimum tribuit. Natura generosa et bona, institutione destituta, sicut ex agro fecundo, qui cultus non sit, pleraque prodeunt vitiosa; necesse est, multa simul cum virtutibus vitia edat: maximi sunt ad virtutem impulsus, saepius vero indulgens impotenti irae, qui cultus non est, nec facilem nec comem sese praebet. Nullum tantum e Musarum commercio homines commodum percipiunt, quanti illud habendum est, ut doctrina et institutione ingenium molliatur, auream homines amplec-

(1) Artax. c. 13.

(2) Arist. c. 1.

tantur mediocritatem, memores *τὸ ἄγαν* semper nocere (1). Ipse Plutarchus a viris, in quibus inesset, quam Plato dicit, *φιλομαθὴς καὶ φιλόσοφος φύσις, οἵοις ἀσπάζεσθαι πᾶν μάθημα καὶ μηδὲν λόγου μηδὲ παιδείας ἀτιμάζειν εἶδος*, literis enutritis, non exspectandum esse censet, eos frangi calamitatibus (2).

Cui Musarum studio, quantum ipse Plutarchus debuerit, non est, quod dicam: ipsa viri opera, uti pro parte jam vidimus, satis probant, si de quo alio, de Plutarcho valere illud:

ingenuas didicisse fideliter artes
emollit mores, nec sinit esse feros.

Verum de his, quae ab hac § aliena existimari possint, § 3 uberior dicendi erit locus, quare transeo ad Plutarchi de justo sententias, ut inde appareat, quam acer fuerit justitiae vindex.

In virorum rebus gestis dijudicandis, ipse omnis justitiae atque honesti amantissimus, eos exagitat, qui commodum patriae indignis facinoribus praetendant, omnem justitiam parvi habentes, quocunque tandem modo, patriae commodum promovere studentes. Ideo invehitur in

---

(1) Coriol. c. 1, Cff. c. 15, De audit. c. 2, Mar. c. 2, Tib. Gracch. c. 10, Caj. Gracch. c. 19.

(2) Cic. c. 2 et 32.

Agesilaum, similesque οἷς ἓν καλὸν ἁπλῶς καὶ δικαιόν ἐστι τὸ τῆς πατρίδος συμφέρον (1), laudat vero orationes Demosthenis, ita comparatas, ὡς μόνου τοῦ καλοῦ δι' αὐτὸ αἱρετοῦ ὄντος, quibus orationibus omnibus οὐ πρὸς τὸ ἥδιστον, ἢ ῥᾷστον ἢ λυσιτελέστατον ἄγει τοὺς πολίτας, ἀλλὰ πανταχοῦ τὴν ἀσφάλειαν καὶ τὴν σωτηρίαν οἴεται δεῖν ἐν δευτέρᾳ τάξει τοῦ καλοῦ ποιεῖσθαι καὶ τοῦ πρέποντος (2). Veram eloquentiam a bono demum viro proficisci posse censet. Orator vir bonus sit oportet, qui multo majorem vim in animis civium exercere potest, quam ii, qui, etsi disertissimi, moribus sunt malignis et improbis: non nuda vis dicendi, verum vitae probitas efficit, ut revera dicendi vis homines commoveat, animique motus tollat mitigetve (3): justum invictum est, debetque is, qui rempublicam gubernare velit

(1) Agesil. c. 37, Alcib. c. 31, *Heeren* l. l. p. 36. » Plutarch erscheint in allen seinen Schriften als ein streng moralischer Mann, und es ist nicht zu verkennen, dass bei der Beurtheilung der politischen Charaktere seiner Helden auch ihre Moralität bei ihm sehr in Betracht kam. Er huldigt nur der politischen Grösze, wo er auch die moralische erblickt. — Plutarch ist Bewunderer der Männer weniger wegen ihrer politischen Entwürfe, als wegen der Reinheit ihrer Gesinnungen."

(2) Dem. c. 13.

(3) Phoc. c. 15, Demosth. c. 10, Per. c. 15, Pelop. c. 25.

αἱρεῖσθαι ἀεὶ τῷ μὲν ἔργῳ τὸ καλὸν ἀντὶ τοῦ κολακεύοντος, τῷ δὲ λόγῳ τὸ λυποῦν ἀφαιρεῖν τοῦ συμφέροντος (1). Ideo dicit Plutarchus: Plato Aristidem maxime memorandum censet, qui omnia facta sua ad virtutem direxerit, raro cognomine justus appellatus (2). In fabula autem de Thespesio Solensi maximopere justitiam commendat (3).

Quod studium justi non potuit non conjunctum esse cum amore libertatis civilis atque odio in tyrannos. De Dione et Bruto agens, eosque inter se comparans, hunc pro libertate publica discrimen adiisse magnopere laudat, ὃ γὰρ εἰς ἔπαινον ὑπάρχει τοῖς ἀνδράσι μέγιστον, ἡ πρὸς τοὺς τυράννους ἀπέχθεια καὶ μισοπονηρία, τοῦτ' εἰλικρινές ἐστι τῷ Βρούτῳ καὶ καθαρόν· turpe enim est assentari populo, quo potentiam consequaris: potentia vero injuria, civesque opprimendo collecta, cum turpis, tum iniqua est (4). Principem ab indecoro abstinere, decorum tueri decet, quod qui negligit, non rex est aut princeps, sed aut multitudinis adulator, aut dominus evadit: itaque aut in

(1) Cic. c. 13.

(2) Arist. c. 25.

(3) De sera num. vind. p. 83, sqq.

(4) Comp. Dionis. cum Bruto, c. 3, comp. Alc. cum Coriol. c. 11.

odium sui, aut in contemtum subditos adducit: hoc lenitatis et humanitatis, illud insolentiae et saevitiae peccatum: pudor, justitia, aequitas, αἰσχρῶν ψόγος καὶ καλῶν ἔπαινος in bono principe insint oportet (1).

Animadvertere licet, eodem studio ductum Plutarchum magna cum voluptate conscripsisse talium praecipue virorum vitas, qui libertatis civilis exstiterunt vindices, tyrannorumque adversarii, ut Timoleontis, Dionis, Bruti, Pelopidae aliorumque, in quorum vitis conscribendis interdum incalescit atque altius assurgit, rei pulcritudine abreptus (2).

---

(1) Comp. Thes. cum Rom. c. 2, Thes. c. 6, Lyc. c. 8.

(2) Qui ad Plutarchi sensum pulcri attendere velit, cui plurima pulcerrima in operibus ipsius loca debentur, inter alia adeat descriptionem monumentorum a Pericle constitutorum, Periclis c. 13, templi Jovis Capitolini, Popl. c. 15, pacis Numa regnante in Italia, Numae c. 20, narrationem de Alexandro Bucephalum conscendente, Alex. c. 6, plures de Alcibiadis pueritia narrationes, quibus pugnam inter Socraticam philosophiam et adolescentis ἀκολασίαν, quam et ex fine Platonici Symposii novimus, elegantissime et verissime videmus expressam. Cff. Pelop. c. 33, quo verbis affectu plenis describit luctum exercitus de Pelopida occiso, et Aem. Paul. c. 33, quo triumphus Aemilianus de rege Perseo descriptus miram ad lectorum animos movendos vim habet. Cff. Excerpta ex oper. Plut. quae ad artes spectant. Gr. et Lat. adnot. instr *Facius*. Lips. 1805.

Ita cum a principe posceret, ut philosophia imbutus, prius in se imperium exerceret, moresque suos constitueret atque dirigeret, quibus postea subditos accommodaret, egregie de principe ita disserit: » principes Dei administri ad hominum salutem, ut, quae Dii bona hominibus largiuntur, ea partim distribuant, partim conservent. Donis enim, quae Dii largiuntur, sine lege, justitia et principe frui non licet: justitia enim legis finis, lex principis opus, princeps Dei imago, omnia digerentis, virtuti operam dando, se ipsum Dei simillimum facit: opusque peragit jucundissimum, Diisque carissimum (1).

In reipublicae forma, cujus tres species statuit, secutus Platonem, reliquas vitia et corruptelas dicens potius, quam formas reipublicae, Platonem imitatus eligit monarchiam, *τὴν μόνην δυναμένην τὸν ἐντελῆ καὶ ὄρθιον τῆς ἀρετῆς τόνον ἀνασχέσθαι, καὶ μήτε πρὸς ἀνάγκην μήτε πρὸς χάριν ἁρμόσαι τοῦ συμφέροντος*: reliquae enim id habent, quod fere is, qui imperat, sub imperio et potestate est, qui administrat, administratur, quod non ha-

(1) Ad princ. inerud. c. 1-3. Cf. maxime cum princ. viris phil. esse diss. c. 1 et 2.

bent vim solidam et stabilem, qualis in monarchia habetur (1).

Quantum in imagine principis informanda, inque reipublicae forma deligenda e Platonica philosophia repetiverit Plutarchus, nemini dubium esse poterit, qui summis labris Platonem attigerit: nec vero in his tantum, sed et in aliis, uti jam vidimus, inque sequentibus magis etiam nobis apparebit, Platonis philosophiam et amavit magnopere et scribendo expressit (2).

(1) De unius dom. pop. statu et pauc. imp. c. 3 et 4. Cf. an seni ger. resp. c. 11.

(2) De Plutarcho Platonis studioso agére, deque philosophia, quam Plutarchus secutus sit, et ab hoc loco alienum est et alius disquisitionis; e vitis tamen loca quaedam attulisse, non ingratum duco Platonis studioso. Cff. comp. Thes. cum Rom. c. 1, Lyc. c. 5, 7, 15, 29, 30, Numa c. 8, 11, 20, Solon, c. 26, 31, 32, Themist. c. 4, 32, Pericl. c. 1, 2, 7, 8, 15, 24, 39, Alcib. c. 1, 4, Coriol. c. 15, comp. Alcib. cum Cor. c. 3, Pelop. c. 17, 18, Marcell. c. 14, Arist. c. 25, Cato maj. c. 2, 7, Philop. c. 14, 16, Pyrrh. c. 23, Marius c. 2, 46, Lys. c. 2, Lucull. c. 2, comp. Cimon. cum Luc. initio, Nicias, c. 23, Agesil. c. 5, Phocion, c. 2, Gracchi comp. cum Agide, c. 2, Demosth. c. 4, Cic. c. 2, 13, comp. Dem. cum Cic. c. 3, Artax. c. 25, Demetr. c. 1, 32, 42, Anton. c. 29, 36, Dion, cujus tota vita ipsam philosophiam Platonicam veluti spirat, inprimis c. 1, 8, 10, 18, 23. 53, Dionis cum Bruto comp. c. 3, Arat. c. 24, Galba, c. 1.

In moralibus autem scriptis, quae dicuntur, utramque fere paginam facit philosophia Platonis: cujus vim atque

Itaque, quamvis vir civilis, si detur optio, monarchiam sit praelaturus, tamen se accommodabit reliquis imperii formis (1).

Cum enim ipse Plutarchus amore patriae duceretur acerrimo, adeo ut patriae commodum promovendum (2), in eos invehendum censeret, qui patriae maledicerent (3), Ciceroni assensus, *patriam omnes omnium caritates complecti*, pa-

intimam naturam, quam egregie perspectam habuerit Plutarchus, vel inde apparet, qnod a Clarissimo *Heusdio*, ipso πλατωνικωτάτῳ, in Amatorio omnium maxime dicitur sententiam Platonis et cepisse et expressisse. Init. phil. Plat. tom. I. p. 98 in nota. Qui cupit perspicere, quantum Plutarchus, ipse optimo sensu Eclecticus dicendus, in philosophicis Platoni debuerit, speciminis loco adeat sententias de rebus divinis, in libro de ser. num. vind. expressas et summi *Wytt.* ad h. l. annotationes. Quantopere autem Platonem amaverit, patet cum ex omnibus scriptis philosophicis, tum e libris de animae procreatione e Timaeo, de Stoicorum repugn., adv. Stoicos, quorum in primo contra perversam variorum philosophorum explicandi rationem, Platonem defendit, in his magnopere in Stoicos, plurimum in Chrysippum invehitur, qui Platonis et Aristotelis, summorum philosophorum, sententias impugnaverint injustissime. Cf. *Schoell*, l. l. tom. II, p. 591. *Ulrici*, l. l. p. 239.

(1) De unius dom. c. 4.

(2) Cimon, c. 2.

(3) Cf. libellus de Herod. mal., quem scripsit nimio patriae amore ductus, nec rationem habet temporum, quibus Herodotus vixit, fabulasque quas de Graecis ille narrat, malignitati et studio Persarum tribuit, parum memor nativae Herodoti simplicitatis.

triam magis quam parentes amandam statueret (1), egregium civem sese praestitisse videtur, qui quavis in reipublicae forma nullum magistratum abnuendum existimaret, dummodo patriae commodum promoveretur, nullum magistratum libero homine indignum, nec modo magistratnm homine, hominem vero etiam magistratu ornandum esse arbitratus (2).

Ideo celebrat concordiam magistratuum, quos respublica tanquam hereditaria benevolentia conjungat, semperque iis obtemperandum esse docet, dicens, *κάλλιστον μάθημα καὶ χρησιμώτατον τὸ πειθαρχεῖν τοῖς ἡγουμένοις, κἂν ὑποδεέστεροι δυνάμει καὶ δόξῃ τυγχάνωσιν ὄντες* (3). Plutarchi vero de rebus publicis ulterius indagare sententias, nec ad nos pertinet, et longius nos duceret, quocirca properamus ad eam Plutarchi dotem, ob quam omni aevo summi semper fuit aestimatus, humani ingenii peritiam accuratissimam.

(1) Comp. Alc. cum Cor. c. 4.

(2) Reip. ger. praec. c. 15.

(3) Reip. ger. praec c. 20, 21.

§ 3.

INGENIUM HUMANUM OPTIME PERSPECTUM HABUIT PLUTARCHUS.

— μηδὲ τὰ μικρὰ τῶν ἠθῶν σημεῖα
δεῖ παραλιπεῖν, ὥσπερ εἰκόνα
ψυχῆς ὑπολαμβανομένους.

Cato min. c. 24.

Verbo monuimus § 1, Plutarchum in moribus summorum virorum dijudicandis saepius majorem verborum et factorum specie minus gravium, rerum gestarum vero minorem rationem habuisse: nunc videamus, utrum universe dici possit ingenium humanum recte perspexisse.

Quod igitur summi momenti habendum est in hominum moribus dijudicandis, memor dicti Ciceroniani, in pueris quasi virtutum scintillulas apparere (1), maxime virorum clarorum pueritiam attendit. Omnes enim veteres philosophi, in pueritia facillime sese arbitrantur na-

(1) *Cic.* de Fin. L. V, c. 15. Cff. c. 20 et 21.

turae voluntatem posse cognoscere: in pueris tanquam in speculo natura cernitur; hac aetate homo dictis factisque indicat et quasi vaticinatur, qualis aliquando ingenio moribusque sit futurus. Ideo Plutarchus maxime observat virorum, quorum vitas describit, pueritiam et adolescentiam. Noverat enim tum inprimis formari indolem atque tales contrahi mores, qui procedente aetate δυσέκνιπτοι evadere soleant. Exhibet igitur maxime ἐφήβους, adolescentes primo juventutis flore, ipsorum studia decertantium, certamina, laudis cupiditatem, labores quos perferunt, ludos, mores omnino, unde optime augurari liceat, quales adulta aetate sint evasuri. Ab exemplis innumerabilibus abstineo, tum, quod longius esset, tum, quod singula enumerare, minus ad hunc locum pertineret. Puerile ingenium quantopere cognoverit, non minus patet e libris philosophicis, adeo ut, qui pueris instituendis vitam impendit, optima e Plutarcho praecepta petere possit (1).

Qua maxime hominis indoles formatur, παιδεία, a Plutarcho summis laudibus celebrata, ad hanc

(1) Inter alia loca Cf. de auditione, c. 17 et 18.

igitur operae pretium est animum advertere, quomodo semper ejus mentionem faciat, ex eaque mores hominum explicet. Ipse compertum habens, quanti pretii sit bona institutio, quantum damnum afferat doctrina neglecta (1), memorat naturam bonam institutione expolitam, ratione duce, cupiditates cohibere (2), ipsumque Themistoclem, nullis excultum literis vel disciplinis, confessum esse, pullos, ubi recte docti formatique fuerint, generosos evadere equos (3). Homines enim, qui literis et doctrina non jaciunt fundamenta bonis externis, animi sitim explere nequeunt. Marius, si Musis et Gratiis sacra fecisset, non rebus splendidissimis, domi militiaeque gestis, foedissimum imposuisset fastigium (4). Totam vitam a primis pueritiae annis colorem trahere, adeoque virum bona institutione usum, ab eo, qui institutione destitutus fuerit, optime internosci posse, summo jure statuebat.

Ita Plutarchus mira, qua pollebat, arte, post

(1) Coriol. c. 1.

(2) Numa, c. 3.

(3) Them. c. 2.

(4) Mar. c. 2 et 46. Cff. Brut. c. 1, Arat. c. 10.

Coriolanum memoratum, cujus insita virtus neque formata neque confirmata sit literis atque doctrina, hominis indolem paucis exprimit, dicens, actionum fontem fuisse austeritatem, intolerabilem arrogantiam et pervicaciam, quae sponte sua vulgo taedium creet, conjuncta vero cum ambitione, efferatur prorsus et intolerabilis evadat (1). Inde repulsam passus, qua erat pervicacia, non tulit moderate, quemadmodum virum summum decet, verum quamvis videretur impavidus atque intrepidus, gestu, incessu constans, apparuit revera ira oppressus et animi aegritudine confectus, nomineque Romano sese indignum praebuit, favorem plebis excelso animo contemnere nescius. Ita propositum non assecuti homines, perverso more quippiam faciunt, rationis excultae auxilio quia indigent, animique affectiones mitigare non possunt, consilium vero subnixum ratione et sapientia, etiamsi non succedat, ipse homo tamen sibi constat (2).

(1) Comp. Alc. cum Cor. c. 4. Cff. Coriol. c. 15 et 21. De ambitione Cff. Lys. c. 23, Sulla, c. 4.

(2) Timol. c. 6. Quanti autem sit bona institutio, ne plura afferam, comprobant etiam loca Tib. Gracch. c. 10, Caj. Gracch. c. 19, Cicer. c. 32.

Quemadmodum autem ingenium Coriolani paucis exprimit, quibus, ut Nepos de Themistocle dicens, *quae contumelia non fregit eum, sed erexit*, totam viri naturam nobis repraesentat, ita brevissime ea saepius indicat, quae in tota hominis vita, quamvis saepe callide occultata, usquequaque in oculos incurrunt. Ut in pluribus unum alterumve exemplum afferam, ex Alcibiadis παιδικοῖς ἀπομνημονεύμασιν perspici dicit τὸ φιλόνεικον ἰσχυρότατον καὶ φιλόπρωτον (1). Ita Fabii Maximi animum sedatum, magnam cautionem in oblectamentis puerilibus, tarditatem et laborem in literis percipiendis, facilitatem et obsequium adversus sodales, quasi fontes indicat, e quibus posterioris aetatis egregia facinora deriventur (2). Sed plura afferre omitto, his me satis exhibuisse ratus, quam recte ostenderit Plutarchus, priores vitae annos maximam vim exercere in tota hominis vita, ideoque ad rationem, qua hanc aetatem transegerit, maxime animum esse advertendum, si quis adultioris aetatis res gestas dijudicare velit (3).

(1) Alcib. c. 2.

(2) Fab. Max. c. 1.

(3) Cf. Pompej. c. 1 et 2.

Tanquam certissima veluti βάσανος humanae indolis memorantur ab altera parte res secundae, ab altera res adversae. Fortuna secunda erigit homines vel natura abjectos, ut spiritus sumant, e summo loco alios despicientes; qui vere magnanimus et constans est, vir, quem Horatius *justum atque propositi tenacem* dicit, *rebus angustis animosus atque fortis apparet.* Omnes homines laudant virtutem in rebus adversis, nec vero in ipsis calamitatibus iidem praestant, quae in ore habent. Quocirca maxima admiratione nos afficere debet exemplum eorum, qui summo loco antea collocati, angustis rebus oppressi, forti animo eas perferunt, aut secundo fortunae cursu elati, sibi temperant. Saepius enim accidit, ut in rebus secundis vitia animo insita, diligenter antea tecta, paulatim erumpant atque animi pravitatem aperiant (1). Recte Plutarchus statuebat, quae eadem Cicero monet, homines saepius efferri fastidio atque contumacia, nec quidquam intolerabilius fieri posse, insipiente fortunato. Qui antea commodis fuerunt moribus, impe-

---

(1) Cff. Eum. c. 9, Anton. c. 17, Agesil. c. 29, Sulla, c. 30, Arat. c. 49, Rom. c. 26.

rio, potestate, prosperis rebus immutantur, spernunt veteres amicitias, novis indulgent (1). Quare homines maxime spectandi sunt, ubi vel gravibus calamitatibus opprimuntur, vel prosperis rebus gaudent, ut inde colligatur, qualis ipsorum vera sit indoles.

In praeceptis conjugalibus, in libello de fraterno amore, quantam Plutarchus ostenderit ingenii humani peritiam, observandi alio loco copia erit.

Quas memoravimus notae produnt virum humanae naturae penitus peritum: longius nos duceret in omnes inquirere; quam vero praetermittere non licet, eadem est, cujus § 1 mentionem fecimus, paucis a nobis confirmanda.

Uti pueritia, ludi, certamina, doctrina, res adversae vel secundae in hominibus spectanda sunt, ita non minorem utilitatem capias ad viri indolem perspiciendam, si varia dicta, variis temporis punctis pronuntiata, attendas. Inde ἀποφθέγματα, quorum Plutarchi vitae sunt plenae: inde in vitis, in quibus talium copia Plutarcho non erat, eam accuratam morum descriptionem aliquando desideres: ἡμεῖς μὲν γὰρ, inquit

(1) *Cic.* Lael. c. 15.

Plutarchus, τῷ λόγῳ πολὺ μᾶλλον ἢ τῷ προσώπῳ φαμὲν ἐμφαίνεσθαι τὸ ἦθος (1), et mox plurima Catonis apophthegmata memorat.

Res, quae videntur parvi momenti, quas Tacitus dicit *primo adspectu leves, ex quibus tamen magnarum saepe rerum motus oriantur* (2), quae ad vitam potissimum domesticam pertinent, vitae quotidianae consuetudinem, familiaria cum amicis colloquia, eas igitur frequenter affert, etenim, ut ille ait:

verae voces tum demum pectore ab imo,
ejiciuntur et eripitur persona, manet res.

In rebus publicis fere illustres viri tales sese ostendunt, quales videri maxime student, in domesticis rebus patent nobis, quales sunt (3).

(1) Cato maj. c. 7.

(2) *Tacit.* Ann. l. IV, c. 32.

(3) Digni, qui de hac mira Plutarchi arte, qua indiciis specie levioribus ad virorum suorum ingenium explorandum est usus, conferantur, *Rousseau*, *Emile*, l. IV. » Plutarque a une grace inimitable à peindre les grands hommes dans les petites choses: et il est si heureux dans le choix de ses traits, que souvent un mot, un sourire, un geste lui suffit pour caracteriser son héros."

Montaigne, Essais, l. I, ch. 25 » cela mesme de veoir Plutarque trier une legière action en la vie d'un homme où un mot, qui semble ne porter pas, cela, c' est un discours."

Reinhard in diss. de rerum minutarum in disciplina morali pretio, sect. II, § 29 et sect. III, § 33.

Ingenia virorum secundum Plutarchum saepius magis e dictis eorum, quam e factis elucent. Facta saepe habent admixtam fortunam; quas vero homines proferunt voces, in rebus gerendis occupati, animique affectionibus commoti, pure tanquam in speculis contemplandum uniuscujusque animi sensum proponunt (1). In bonis viris non est perinde quidquam admirabile, atque vita quotidiana cum familiaribus (2). Res domesticae enim faciunt egregie ad viri mores perspiciendos, μηδὲ τὰ μικρὰ τῶν ἠθῶν σημεῖα δεῖ παραλιπεῖν, ὥσπερ εἰκόνα τῆς ψυχῆς ὑπογραφομένους (3). Sed nos ne fines nostris observationibus propositos transgrediamur, illud concedamus Wyttenbachio de Plutarcho affirmanti, ipsum conversionum momenta et animorum abditos recessus et acutissime vidisse et prudentissime explicuisse (4).

---

(1) Epist. ad *Traj.* praefixa ejus reg. et imper. apophth.

(2) Per. c. 7.

(3) Cato min. c. 24. Cff. c. 27. Ages. c. 29.

(4) Praef. ad ser. num. vind. p. 8. Iniquius judicare nobis videtur *Schoell*, l. l. tom. II, p. 391 de Plutarcho dicens: » Seine Helden erscheinen entweder als vollkommene Tugendmuster oder als Sklaven einer Leidenschaft; und man vermisst die feine Beobachtung der unzähligen Mittelgrade zwischen Tugend und Laster."

§ 4.

SENTENTIAE QUAEDAM DE REBUS DIVINIS.

ἀγαθὸς ὢν ὁ θεὸς τελέως, οὐδεμιᾶς ἀρετῆς ἐνδεής ἐστιν.

De defectu orac. c. 24.

Est haec cum recentiorum temporum, tum inprimis aetatis nostrae maxima felicitas, ut in religione Christiana omnium praestantissima enutritis, in diem puram magis, humanitate procedente, excelsamque rerum divinarum nobis comparare liceat notitiam. Neque tamen antiquorum philosophorum respuenda sunt placita, contra, quo magis ea attenderimus, eo melius nostrarum sententiarum intelligemus gravitatem, nobisque persuadebimus veram philosophiam inter et veram religionem arctissimum esse vinculum. Ideo ab his observationibus non alienum esse duxi, quasdam Plutarchi de rebus divinis proferre sententias, quae maxima antiqui phi-

losophi admiratione nos percellant necesse est, adeo ut virum conspiciamus summa pietate ductum, studioque in rebus divinis posito, suos mores emendare summopere studentem.

In quibus primum haud praetermittendum est, Plutarchum statuisse unum Deum, qui omnium hominum curam gerat, qua de re ipsius verba adscribamus. » Itaque de eo, quod est, non licet dicere, fuisse id aut fore, quae verba inclinationem significant atque discessum atque mutationem, quae locum *in eo quod est*, non habent. Sed ita est dicendum, Deus est, neque vero est in tempore, sed in aeternitate immobili et experte mutationis ac temporis, qua nihil est, neque prius, neque posterius, neque recentius. Sed unus cum sit Deus, uno praesenti durationis momento, *ἐνὶ τῷ νῦν*, totam aeternitatem complet: et solum illud, quod in aeternitate est, revera est, non factum, non futurum, non praeteritum, neque orsum, neque desiturum. Sic igitur Deus a nobis cum veneratione salutandus est: *es unus*. Non enim multitudinem capit divina natura, *οὐ γὰρ πολλὰ τὸ θεῖόν ἐστιν*, ut unusquisque nostrum, qui constamus congerie mixta, et infinitis diversissimisque

actionibus, ut conflantur conventus ex variis hominibus. Sed illud, quod est, unum est, et unum est illud, quod vere est" (1). Quamquam enim hoc loco de Apolline sermo est, tamen, ut recte observat summus Wyttenbachius, ita de eo loquitur, ut eum pro uno et summo Deo, qui nomine tantum a Jove reliquisque Numinibus differat, habere videatur: cumque de unitate ejus naturae disserat, patet eam ipsam superstructam esse unitati individuae, seu numeri, ut, cum Deus omnia, quae in ejus naturam cadere possunt, simul et semper complectatur, sibique semper unus et idem sit, etiam significetur, talem naturam ac vim non pluribus subjectis, sed in uno tantum inesse (2). Idem vero aliis locis comprobari potest. In libro de Isid. et Osir. dicit: » neque vero alii apud alios sunt Dii aut sui Graecis, barbaris item sui, et alii septentrionalibus, alii austrinis, sed quemadmodum Sol, Luna, Coelum, Terra, Mare communia sunt omnibus, tantum aliter ab aliis appellantur; ita una mens, quae hoc universum temperat, una providentia, quae procurat, et

(1) De EI apud Delphos, c. 20.

(2) Disput. de unit. Dei, Opusc. tom. II, p. 408.

facultates, quae apud omnes vim suam exserunt, pro varietate legum, alias apud alios habent dignitates, alia nomina. Neque absurdum est, etiamsi plures sint mundi, singulis praeesse principem atque ducem universi Deum, ratione et mente praeditum, qualis est noster Jupiter, qui a nobis pater omnium et dominus appellatur, aut quid obstabit, quominus Jovis fato et providentiae omnes mundi obediant, isque singulos inspiciat ac dirigat, singulis praebens initia semina," (1).

Videmus unum Deum, cui fatum est subjectum, qui providentia sua res Deorum atque hominum curat, *εἷς βασιλεὺς καὶ ἄρχων, θεός, ἀρχήν τε καὶ μέσα καὶ τελευτὴν ἔχων τοῦ παντὸς, εὐθείᾳ περαίνει κατὰ Φύσιν περιπορευόμενος· τῷ δὲ ἕπεται Δίκη τῶν ἀπολειπομένων τοῦ θείου νόμου τιμωρὸς, ᾗ χρώμεθα πάντες ἄνθρωποι Φύσει πρὸς πάντας ἀνθρώπους, ὥσπερ πολίτας.* Deus quemadmodum solem in coelo posuit pulcerrimum sui exemplar, in quo tanquam speculo, iis, qui adspicere possunt se spectandum praebet, ita in civitatibus justitiae splendor quandam divinae sapientiae imaginem reddit (2).

(1) De Isid. et Osir. c. 66 et 67. De oracul. defectu, c. 29 et 30.

(2) De exsilio, c. 5, ad princ. inerud. c. 5.

Deus ipse est summa justitia et summa benevolentia, optimus ille Deus, ad sui similitudinem mundum informans, quaecunque praeclara sunt, sui imagines exhibuit: patrius ille et supremus ac justitiae praeses Jupiter, optimus artifex, mundum formavit, urbem Diis hominibusque communem, in quo una vitam agerent, cum summa justitia, concordia atque fide (1). Verumtamen ex alio in alium locum inciderem, si omnia loca adscribere vellem, quibus eadem ratione Plutarchus de Deo sermocinatur.

Itaque cum Deus sit unus, cui reliqui Dii hominesque pareant, fatum sit subjectum, quique providentia sua mundum gubernet, qualem Deum supremum, quales alios Deos sibi informaverit, videamus.

Quod igitur in antiquo philosopho magnopere praedicandum est, ex ipsius sententia, a Deo omnia bona proficiscuntur, nullius mali hominibus est auctor.

Deorum genus nullius auctor mali praeest atque imperat, non vero, ut poëtae fabulantur, securas et beatas sedes incolentes, commoti va-

(1) De anim. procr. e Tim. c. 5, adv. Stoicos, c. 14.

riis perturbationibus, quae etiam ab homine probo sunt alienae (1). A divina natura abhorrent istae fabulae atque culpandi sunt, qui istiusmodi opiniones de Diis proferunt. Quemadmodum homo plebejus consilium medici haud facile deprehendit, ita de Deo non facile certi quidquam pronuntiare potest homo, judicis partes agens. In legibus populorum multa quis absurda inesse dixerit, qui legislatoris mentem et rationem non perspexerit: quid ergo miremur, ubi humana ita difficulter a nobis intelliguntur, si non facilis explicatu est nobis, quam Deus sequitur, ratio (2).

Studendum, quantum ejus humana natura capax est, ut assequamur cognitionem Deorum: nec enim ullum Deus majus hominibus munus digniusve dedit, quam veri amorem, praesertim de rebus divinis, nec ulla res majus ad felicitatem affert momentum (3).

Decet nos caute et summa cum verecundia de rebus divinis judicare, nec pravorum sed bo-

(1) Per. c. 19. Cf. maxime cum princ. viris phil. esse disser. c. 3.

(2) De sera num. vind. p. 10 et 13.

(3) De Isid. et Osir. c. 1, 2, 68.

norum hominum sententias amplecti: boni autem homines censent Deum esse omnium bonorum principem, omnium pulcrarum rerum parentem, neque fas eum aut agere aut pati quidquam mali. Bonus enim cum sit, bonum nullius rei vel invidia vel metus, neque odium aut ira occupare potest. Numen sua natura beneficum et adjuvans, irasci et laedere nescit. Magnus Jupiter omnia componit atque procurat, reliqui Dii hominibus bonorum auctores. Boni homines Diis sunt accepti: homo temperans et justus Diis non carus esse nequit (1).

Deus se in medio exemplar omnium bonorum proponit, humanamque virtutem, qua homo similis Dei aliquo modo saltem redditur, parandam concessit his, qui Deum sequi possunt. Non est major alius fructus, quem ex Deo possit capere homo, quam virtus imitatione pulcrorum et bonorum, quae divinae naturae insunt, paranda. Ideo suo exemplo Deus, animi motus perspiciens, in puniendo mansuetudine uti nos docet, ut ratione utamur, irae ne indulgeamus. Deus plectit posteros nostros,

(1) Non posse suav. vivi sec. Epic. c. 23.

quocirca nos a pravis abstinere debemus: nec vero hoc agit, ut acceptam injuriam ulciscatur, sed vitia animo insita emendandi finem sibi proponens, homines poena afficit (1).

Deus, quem mente intelligimus, summo hominum amore tenetur (2), et paterna sua providentia ita hominum curam gerit, prouti eorum commodum flagitat, adeo ut perverse agant, qui immaturae mortis causa, aliorumve, quas calamitates dicunt, Deos culpent (3).

Cum vero vix finem inventura esset oratio nostra, si, quaecumque a Plutarcho Deo tribuuntur, recensere velimus, aliam observationem incipiemus, probaturi Plutarchum hominis voluntatem liberam esse statuisse.

Si quid aliud, hoc profecto in antiquo philosopho dignum est, ad quod animum advertamus, eum hominibus suum in rebus peragendis arbitrium tribuisse. Est hac de re locus maxime memorabilis, quem paucis verbis comprehendisse haud pigebit.

---

(1) De sera num. vind. passim, in quo libello, quamvis procul absit, ut omnibus assentiamur, multa tamen inveniuntur, quae ne a nostro quidem saniore de rebus divinis judicio sunt aliena. Cff. *Wytt.* adnot. et praef. p. 9.

(2) Numa, c. 4 et 8.

(3) Consol. ad Apoll. c. 31. Cf. de orac. def. c. 7 et 24.

Defendit Homerum ab eorum calumnia, qui dicant, eum liberae voluntatis arbitrium hominibus ademisse. Homerus enim non inducit Deum arbitrium voluntatis tollentem, sed moventem et impellentem: ita agimus, non nobis invitis, sed liberae voluntati Deus et fiduciam et spem addit. Haec demum est cura digna Diis, ut nos juvent, nostrisque conatibus adsint, agendi vim, quae adest in animis nostris, aut excitantes aut reprimentes (1).

Quare homines, si quid peccant, neque Deo, neque fortunae, neque geniis, sed sibimetipsis hoc tribuere debent: dolia enim bonorum et malorum non in Jovis limine, sed in animo nostro sunt reposita: homo ipse agendi initium faciat, postea deos imploret (2).

Itaque, cum animi liberum arbitrium esse censeat Plutarchus, de ipsius animi immortalitate non alienum erit, quid cogitaverit, attendere.

Sordidus admodum est Deus, atque inanem

(1) Coriol. c. 32. Cf. Thesei cum Rom. comp. c. 3.

(2) De superst. c. 7 et 8, Cff. consol. ad Apoll. c. 30, de tranq. animi, c. 14.

sumere voluit operam, qui nostri nihil in nobis divinum, nihil habentium ipsius simile quocunque modo, et permanens ac stabile, sed foliorum instar, ut est apud Homerum, brevi temporis spatio emarcescentium atque pereuntium, tantam habeat rationem. Quod a virtutibus divinis plane abhorret. Una eademque ratione et providentia Dei, et animi humani perpetuitas stabilitur, neque potest relinqui, sublato altero, alterum. Ergo animo post mortem exstanti, magis probabile est vel praemia vel poenas reddi. Vitam enim, quasi certamen quoddam obit, et certamine peracto, consequitur, quod meruit. Deinde Plutarchus imitatus fabulam Platonis de Here Armenio, narrat fabulam de Thespesio Solensi, qua, poenis et praemiis apud inferos propositis, homines ad virtutem adhortaretur. Adrasteam omnium flagitiorum vindicem, malorum nemo, ne minimus quidem aut latere, aut ullo modo effugere potest. Homines revera post mortem congredi posse cum vita functis, ratio demonstrat (1).

Ita cum animus immortalitatis sit particeps,

(1) De sera num. vind. p. 67 sqq. Cff. de tranq. animi c. 18, non posse suav. vivi sec. Epic. passim.

corpora hominum inter Deos referre, absurdum est. Corpus enim morti debetur, sola mens restat. Ea sola ex Diis, inde oritur, eodem redit, non una cum corpore, sed a corpore sejuncta, pura atque sancta: animus corpori est superstes, cui quamdiu implicitus est, supera petere aegre potest. Itaque non oportet bonorum corpora contra legem naturae cum animo in coelo collocare, sed solas virtutes (1). Hac mente praeditus vir egregius libro de superstitione vehementer monet pietatem amplectendam, superstitionem et impietatem esse maximopere vitandas. Quippe quae hominibus ingerant sententias Deo optimo indignas, animo summum damnum afferant, efficiantque, ut semper perturbationibus homo sit deditus. Ridicula sunt superstitionis opera, verba, motus, praestigiae, incantamenta, tympana pulsata, lustrationes aliaque innumerabilia officia ineptissima, quibus religio non continetur. Ideo laudat eos, qui in rerum naturam inquirentes, inde explicare studebant, quae mira occurrerent (2); vituperat, qui rerum mirabilium stupore afficiantur (3).

(1) Rom. c. 28.
(2) Per. c. 6.
(3) Nicias, c. 23. Cf. de superst. c. 8.

Attamen negari non potest, Plutarchum hac in re non semper sibi constitisse et aliquando miraculis, aliisque rebus nimiam fidem tribuisse. Neque enim tantam exemplorum nubem attulisset, nisi diebus fastis et nefastis aliquam saltem fidem habendam esse suspicatus esset; et de his rebus pronuntiare anceps esse dicit, propter humanae naturae imbecillitatem (1). Quae res maxime ex fluctuantibus ipsius de providentia divina notionibus explicanda videtur: cum enim, ut supra vidimus, providentiam divinam sapienter omnibus rebus praeesse statuat, aliis tamen locis providentiam quandam inferiorem geniorum et daemonum fingit (2), aliis fortunae plurimum tribuit (3), aliis una cum providentia fato tradit homines obtemperare (4).

(1) Camill. c. 19. Cff. de Isid. et Osir. c. 4 et 5, de sera num. vind. p. 58, Poplic. c. 9. Coriol. c. 38, Dion, c. 2.

(2) De Isid. et Osir. c. 25, Cff. de fato et de sera num. vind.

(3) Marius c. 23. Libros etiam scripsit de fortuna Romanorum, deque fortuna Alexandri magni, quorum in illo omnia fere incrementa nominis Romani tribuit caecae cuidam fortunae, eamque justitiae et suadae et concordiae sororem vocat, c. 4. Cf. Demetr. c. 35; in hoc vero ex Alexandri virtute omnia ipsius praeclara facinora explicat. Cff. *Schoell*, l. l. p. 417, et quem ille laudat, *Sainte Croix*, Examen des hist. d' Alex. le gr. 2e edit. p. 83. *Ulrici* l. l. p. 239.

(4) Consol. ad Apoll. c. 13 et 29, de quo libro, ut etiam

Haec vero qui rite dijudicare velit, necesse est accuratius inquirat in scripta illa esoterica, quod ab hoc loco alienum ducimus.

Vidimus igitur Plutarchum, etiamsi interdum sibi non constet, nec nostrum de divina natura judicium assequi potuerit, tamen eo processisse, ut supremi Dei providentiam statueret, illique additos et subjectos, alios, sive Deos, sive genios et daemones, sive aliam quandam vim, ita ut imperium penes unum, officia penes plures essent. Neque nos ideo culpamus egregium virum, maxima cum pietate de rebus divinis verum assequi studentem: etenim haud sane erit mirum, ut cum Wyttenbachio Platonis verbis utamur, » si de Deorum natura disserens, minus id quod habeat, animo consequatur, ut tota dilucide et plane exornata oratio sibi constet, et ex omni parte secum ipsa consentiat: contenti enim esse debemus, si probabilia dixerit. Aequum est enim meminisse, et eum, qui disserat, hominem esse, et nos, qui judicemus, ut si probabilia dixerit, nil ultra nos requirere possimus" (1).

de duobus modo citatis tenendum, viros doctos statuere, Plutarchum juniorem eos conscripsisse.

(1) *Wytt.* Opusc. tom. II. p. 492.

§ 5.

QUALIS PLUTARCHUS IN REBUS DOMESTICIS FUISSE VIDETUR.

τῶν ἀγαθῶν ἀνδρῶν οὐδὲν οὕτω θαυμάσιον τοῖς ἐκτὸς, ὡς ὁ καθ' ἡμέραν βίος τοῖς συνοῦσιν.

Pericl. c. 7.

Cum ipse Plutarchus nos doceat, e rebus domesticis optime hominis indolem cognosci, qualem hoc nomine ipsum nobis informare debeamus, e scriptis conspicuum, tandem animadvertamus.

Gratissimum nobis erit, temporibus, quibus opiniones de vinculo, quod intercedit inter maritum et uxorem, patrem et liberos, de fraterno amore, a nostra cogitandi ratione multum erant alienae, adire virum egregium, qui sententias proferat de rebus gravissimis, ad mores nostros propius accedentes, virum in quovis vitae genere excellentem. Plutarchum igitur his de rebus disputantem audiamus.

Est sanctissimum nuptiarum vinculum, non tantum Veneris sed Mercurii etiam patrocinio gaudens; in nuptiis enim, quae voluptas percipitur, ratione indiget. Amor forma corporis incensus, constans et immotus non est habendus, nisi ipsum animum totum occupans, ἔμψυχον λάβῃ διάθεσιν. Voluptatis exigua pars, sed qui inde oritur quotidie honor, gratia, amor mutuus, fides, ostendunt recte Ἀφροδίτην, ἅρμα dictam. Suada et Gratiae, Deae suavissimae, a conjugibus colendae sunt, ut persuadendo omnia impetrent, a rixis et ira abstineant. Omnes res consensu conjugum peragendae sunt, viri tamen vel imperium vel consilium debet eminere. Neque tamen maritus imperet uxori, tanquam dominus rei, sed ut animus corpori, iisdem affectibus deditus, et benevolentia devinctus, leniter tractet uxorem oportet.

Mulier modesta sit, pudica, cum veste exuta verecundiam induat, nec malis utatur artibus, quibus semetipsam decipiat; semper viro se accommodet, marito ira agitato taceat, tacitum alloquio mitiget, gaudente illo gaudeat, lugenti doloris sit socia.

Quemadmodum speculum auro et gemmis ornatum, nullius est pretii, nisi rebus similem exhibeat imaginem: ita nullus usus erit mulieris vitam viro similem, moresque consonos non gerentis. Concordia et harmonia demum vera nuptiarum felicitas paratur. Morum comitate, consuetudine, obsequio, virtute, benevolentia paranda est uxori: natalibus, pecuniae, formae venustati ne confidat. Neque ad dotem, ad genus, ad pulcritudinem viro est attendendum, sed explorandum, quales feminae in convictu sint futurae, mores spectandi sunt. Qui sana mente sunt, ad indolem attendunt, si qua honesti species et simulacrum in animis insit: divitias vero bonis moribus junctas aversari, stultum esset. Eosdem, quos maritus, uxor amicos habeat, calumniae aures ne praebeat: maritus adhibeat uxorem mensae, jocis, ne cogatur seorsim voluptates quaerere. Omnia iis sunt communia, in unam quasi naturam conjuges debent conjungi: ita demum vera animorum conjunctio oritur.

Caeterum non uxor tantum sit pudica, maritus quoque ab improba contagione purum castumque se servet, uxoremque prae omnibus re-

vereatur. Maritus, ut poëta ait, *uxori pater et frater venerandaque mater:* optima quaeque eam docere debet, ut praejudicatis opinionibus, superstitione, aliisque, ad quas muliebris animus proclivis est, stultis rebus ipsam liberet, ut ipsius ingenium excolat, et ad omnia praeclara eam adducat (1).

Sunt haec praecepta saluberrima, quae si quis observet, is omnino videtur veram matrimonii felicitatem adepturus. Attamen dubium moveri posset, num Plutarehus revera ad eam normam vitam direxerit. Saepius enim fit, ut homines optima quaeque praecepta aliis tradant, nec vero facta verbis consona appareant. Quod Plutarcho non accidisse, affirmare non dubitamus. Ex epistola enim consolatoria, quam filia mortua, absens ad uxorem scripsit, abunde patet, necessitudinem, quae inter eos exstabat, a dictis praeeeptis non abhorruisse.

Monita ita sunt eomparata, ut utriusque conjugis admiremur tum sapientiam, tum mutuam caritatem atque benevolentiam. Monet eam, ut sibi constans eam calamitatem sapienter ferat,

(1) Conjug. praec. Amator. passim.

neque luctui indulgeat, in quo mulierem continentem esse deceat, ita tamen ut nullo modo naturalem in liberos amorem exuat. Nam nec e quercu aut saxo natus erat Plutarchus, et uxorem ita monet, haud ipsius constantiae ignarus, sed in maxima calamitate summam ipsius expertus animi virtutem, filio natu maximo mortuo; contra laudat eam, quae planctum non ediderit, quae justa non magnifice fecerit, quae non admittat naenias malarum mulierum. Dein summa cum suavitate memorat vitae concordiam, quae tanta esset, ut uxor familiaritate et consuetudine sua omnes cives, omnes philosophos in admirationem traxisset. Tandem de ipsa hacce filiola ita loquitur, ut patrem eum fuisse amantissimum inficias ire, nemo in animum sit inducturus. Vere affectu paterno narrat se optima quaeque de filia illa esse auguratum: dotes ipsius memorat, mansuetudinem, mutuum amorem, humanitatem, quibus omnes ad se alliceret, summumque gaudium et delectationem parentibus praeberet: amorem adeo tantum fuisse praedicat, ut vellet nutricem non tantum aliis infantibus, sed ludicris etiam et pupis mammam praebere, ita summa benevolentia ea, quae se oblec-

tarent, tanquam ad mensam communem invitans, ut secum dulcissima quaeque perciperent.

Haec vero, inquit Plutarchus, quibus viva nos oblectavit, nunc in memoriam revocata, non perturbare nos debent, contra grati simus oportet, quod per biennium ipsius suavitate usi simus. Homines haud raro hoc vitio laborant, ut praeterita recordantes, unice mala in memoriam revocent: nos vero, si sapere velimus, bonorum memores esse decet, eoque uti contra dolorem tanquam remedio optimo. Filiola nostra non indiget dolore nostro, omni vacat molestia, nullus ibi dolori locus: credendum enim in meliorem et diviniorem locum animos nostros concedere (1).

Neque mirum videri potest, Plutarchum talem se praestitisse, ubi de Catone majore ita eum audimus disserentem, ut plane ipsius agendi rationi calculum adjicere videatur. Inter reliquas virtutes dicit, eum fuisse bonum patrem, optimum maritum, nec ignavum in re familiari augenda. Plutarchus autem hac in re sibi magnopere placet, et omnia recensenda putat.

(1) Consol. ad uxorem passim Cf. ad Apoll. c. 19.

Dicebat Cato eum, qui liberos conjugemve caederet, sanctissimis rebus manus inferre, boni mariti, quam boni senatoris laudem esse majorem. Dicebat ideo maxime Socratem sibi admiratione dignum videri, quod cum muliere morosissima stupidisque liberis placide et comiter vixisset. Dein Plutarchus totam Catonis educandi rationem refert, ita comparatam, ut et corpus laborum omnium patiens redderetur et animus ad virtutem adduceretur (1).

Quo solatio uxoris luctum levare studet, ei prorsus conveniunt, quae in vita Solonis habentur.

Thales indignum philosopho dicebat, moerore opprimi, nec ideo se nuptias inire prae se ferebat. Atqui, ait Plutarchus, ineptus et ignavus sit, qui metuens ne amittat, res comparare necessarias negligat. Eadem ratione neque divitias, neque gloriam, neque sapientiam quis amplectatur, timens ne iis potitus, privetur. At vero ipse Thales, ut ajunt, habebat filium adoptivum. Cum enim, (sic pergit, qui locus est unus in paucis praestantissimus,) animo in-

(1) Cato maj. c. 20.

siti sint igniculi amoris, natusque ille sit, sicut ad sentiendum, cogitandum, reminiscendum, ita etiam ad diligendum, qui proprium non habent, alienum amplectuntur. Qui enim de nuptiis et de liberis suscipiendis ita verba faciunt, ut naturae vim afferant, eosdem videas propter vernae mortem vel pellicis filii, desiderio confectos, nec sibi temperantes. Ideo non abstinendum est a nuptiis, metu ne privemur iis, quae nobis sunt carissima, sed et praesentibus fruendum est, et, si orbamur, ex ratione ad dolorem nostrum leniendum, consilium repetendum est (1).

Quaecunque de sanctissimo inter conjuges vinculo, de parentum erga liberos amore tradit Plutarchus, ne nostris quidem temporibus indigna videntur: de amore erga parentes et fratres, de consuetudine cum amicis, videamus porro, quaenam ipsius fuerint sententiae.

A natura principium benevolentiae et concordiae nobis inditum est; fratres eodem patre nati sumus, ut separati mutuo nos adjuvemus: concordia enim genus floret et familia viget:

(1) Solon. c. 6 et 7. Cf. de amore prolis.

sinistrae de cognatis suspiciones consuetudinem malorum hominum adsciscunt, quod qui facit, parte corporis amputata, apponit alienam. Amicitia est imago vinculi, quod inter parentes et liberos et inter liberos ipsos intercedit, quod qui non colit, neque erga reliquos est benevolus. Post Deum primus honor tribuendus est parentibus: parentum autem laetitia summa est constans fratrum inter se benevolentia. Inimicitiae fratrum parentibus sunt molestissimae, fraternum odium pessimum civibus exemplum. Frater recuperari non potest, amici possunt: horum peccata cum toleremus, multo magis illorum delictis ignoscendum est, si quid peccaverint. Ne alter fratrum captet benevolentiam patris, alterum removens, sed alter alteri patris benevolentiam augeat. Nec vero peccanti parcat, sed placida admonitione ad officium reducat. Alter alteri ne invideat laudibus celebrato, partem vero laudis ad se pertinere ducat. Major natu ne magni, minor ne parvi ducat aetatem majorem: ita mutua constabit benevolentia. Cavendum est a litibus: dies quo litigavimus, atro carbone notetur, nisi malumus multorum laetorum dierum, quibus una educati

sumus et viximus, memoriam delere. Adversus cognatos et familiares nostros utendum est mansuetudine et animi moderati filia, tolerantia malorum, quam nobis natura largita est. Et delicti gratiam petere et ejusdem gratiam facere indicat amorem et benevolentiam: quare deprecantibus non debemus repugnare, ipsam vero deprecationem, danda venia, antevertere. Si qua dissidia oriantur, conveniendi sunt amici fratris, quos eosdem nostros habere oportet: diversi enim amici sunt certum documentum diversi ingenii (1).

Amicitia, maximo deorum dono, mores hominum finguntur; eam hominum vitae admiscens, omnia laeta, dulcia et grata ut essent, amico praesente, Deus effecit. Fundamentum amicitiae et conciliatio consistit in similitudine studiorum et morum, ut homines easdem res appetant easdemque aversentur. Verus amicus is dicendus, qui bona facta laudat, turpia vituperat, qui nulla invidia, nulla prava aemulatione ducitur, cujus mores simplices atque sinceri nihil habent fictitii, qui eorum tantum socius est,

(1) De fraterno amore, passim.

quae bona atque honesta sunt, a turpibus et ipse abstinet et amicum arcere summopere studet. Nec vero aut coram uxore maritum, aut coram liberis patrem, aut coram discipulis magistrum objurgat, sed et justo tempore vituperantis partes sustinet, et ab amico non discedit, dictis acerbis tanquam aculeis in animo ipsius relictis (1).

Tanta igitur cum requirantur, si quis verus amicus dici velit, ut et benevolentia cum virtute conjuncta amicitia paretur, et mores, affectus, studia, animi sensa amicorum exaequentur, rarissimum verae amicitiae vinculum natura protulit (2).

Haec fere sunt, quae de consuetudine cum iis, qui nobis conjunctissimi haberi solent, tradidit Plutarchus sententias, dignas illas, quas et admiremur et imitemur. Nec mirum nobis accidere potest, virum praestantissimum, qui de rebus gravissimis, quas §§ praecedentibus tractavimus, opiniones protulit, aetatis, qua vixit, cultu majores, in quotidiana cum familiaribus consuetudine, egregium sese praestitisse et phi-

(1) Quomodo adul. ab am. intern.

(2) De amic. multit.

losophum et in vita domestica optimum exemplar.

Noverat enim ille, quocunque tempore, quocunque loco sis, semper id agendum esse, ut et aliis prosis et temet emendes, adeo ut etiam ex hostibus utilitatem capi posse censeret, siquidem saepe nostra vitia nobis detegant, nos doceant semper cavere ne simus injusti, excitentque, ut ipsorum vitiis nos virtutem opponamus, ut ille ait, *vitae integri, scelerisque puri* (1).

Nosmet emendare nos decet: ex suopte ingenio, tanquam e fonte, homo voluptatem veram haurire potest, non foris illam petendam (2). Nam vita mutata non tollit ex animo aegritudinem excruciantem (3), sed ratio edocta vitae humanae vicissitudines, quae praesentibus sese accommodat, nec eos imitatur, qui, bonis neglectis, cogitationes suas in mala abjiciunt, quaeque docet hominem non semper in praestantiores intueri, verum etiam cum iis comparationem instituere, qui pejori conditione utuntur.

(1) De cap. ex host. util.
(2) De virtute et vitio c. 1.
(3) De tranq. animi, c. 4.

Sed haec sufficiant: quae enim faciunt ad bene sapienteque vivendum, si quis e Plutarcho colligere voluerit, eum totum praeceptorum volumen impleturum esse, nemo negabit: me vero tempus monet, finem his observationibus imponere; quocirca, paucis in epilogo monitis, legi satisfactum esse existimabo.

EPILOGUS.

Animi lineamenta contulimus, e quibus aliqua ex parte viri indoles perspici possit. Qui Plutarchum saepius legat relegatque, eum multo meliorem atque accuratiorem viri imaginem e scriptis ipsius depingere posse, omni dubio caret: nos, quibus terminis circumscripti tenebamur, ingenti mole obruti, quantum potuimus collegimus, ut probaremus, Plutarchum virum fuisse, summa admiratione dignum, quippe qui se nobis ostenderit virum summo virtutis amore ductum, veri justique acerrimum vindicem, optimum civem, ingenii humani peritissimum, de rebus divinis maxima cum pietate et sano judicio disserentem, in rebus privatis optima praecepta et tradentem et exemplo suo confirmantem. Decori honestique sensu, humanitate, modestia, amore erga cives, benevolentia erga omnes, de iisdem bene merendi studio indefesso, haud facile a quoquam superetur. Erudien-

dis ingeniis, formandis moribus, virtutibus commendandis, vitiis sanandis, erroribus expellendis atque exstirpandis, ut Wyttenbachii verbis utar (1), ἑλληνικὸν illud in scriptis suis plane expressit.

In eodem tamen plurima, quae naturae humanae adhaerent vitia, reprehendi posse, aliquoties animadvertimus. Neque vero in his aut homo et biographus historicusque confundendi sunt, aut Plutarchus ad nostram cogitandi rationem est exigendus, sed et aetatis Plutarcheae, et eorum, quae sibi ipse proposuit praecepta, ratio est habenda (2). Quae si attenderimus, mul-

(1) Opusc. Tom. I. p. 246.

(2) Quamvis igitur multa in Plutarcho excusari possint, tamen tanti non habendam esse duco fidem historicam, quanti eam facit *Heeren* in comm. de fontibus et auctoritate Plutarchi; potius in vitiis Plutarchi dijudicandis calculum adjicerem iis, quae tradit *Manso*, Sparta tom. I. p. 2. p. 84. Lips. 1800, qui, quamvis severius, in multis non omnino a vero aberrare videtur, de Plutarchi Lycurgo dicens: »Plutarch hat nicht zwey unentbehrliche Eigenschaften, kritischen Scharfsinn und Unparteilichkeit. Ohne Prüfung, auf Treue und Glauben, nimmt auch er als Lykurgisch auf, was seine Gewährsmänner ihm dafür verkaufen, stellt widersprechende Meinungen zusammen, und entscheidet noch seltner für die bessere. Anstalten und Verordnungen; unverträglich mit dem Charakter jener Zeiten und Menschen, in den er sich so wenig, als seine Vorgänger zu versetzen weiss, werden von ihm, ohne Bedenken für

ta Plutarcho vitio non vertemus, seculoque Plutarcheo tribuemus, quae a nostris opinionibus abhorrent, alia quae ipsi nos in Plutarcho reprehendimus, humanae naturae imbecillitati condonabimus.

---

nothwendig und zweckmäszig anerkannt, und andre, die es sind, durch die ihnen beijgefügten Gründe und unterschobenen Veranlassungen verdächtig gemacht. Wahres und Falsches, Geschichte und Mährchen mischen sich unablässig unter einander, und die philosophische Gründlichkeit, mit der er bekanntlich alle seine Werke zu farben bemüht war, macht der historischen Leichtgläubigkeit eben nicht den angenehmsten Coutrast. Zu allen diesen, den Geschichtschreiber nicht sehr empfehlenden Zügen gesellt sich endlich noch eine entschiedene Vorliebe für Sparta und seine Einrichtungen, und wird der Wahrheit und der Erforschung derselben um so nachtheiliger, je öfter sie in der Lebensbeschreibung Lykurgs, als in der des Lysander, Agis und Kleomenes, Gelegenheit hat, sich zu äuszern."

Quomodo haec vitia partim explicari possint cum e Plutarchi, tum ex temporis, quo vixit, ingenio, animadvertimus. Caeterum haec accuratius explicare, esset alius disquisitionis. De critica seculi Plutarchei Cf. *Heeren* l. l. tom. III, p. 19, 26, 400. *Ulrici* l. l. p. 72 in nota. *Rotteck*, allg. Gesch. 12e aufl. tom. I. p. 251. Quomodo studium philosophiae historiae nocuerit, Vid. *Ulrici* l. l. p. 240. De studio partium Cff. *Heeren* p. 36 et 382. *Schoell* l. l. p. 392 et 417, *Ulrici* l. l. p. 240 in nota. Gravissimis criminibus Plutarchum arguit *A. Westermann* in quaest. Dem. part. 4. Lipsiae 1837, quae tamen egregie refutavit *Franke* in Jahrb. supra p. 10 cit. p. 302 sqq. Probabiliora de Plutarchi fide affert *J. C. Held*, prol. in Plut. vitam Timol. cap. sec. pars post. cum epim. Cff. Jahrb. 23 b. 1. h. p. 107.

Nec enim nos Plutarchum vitio caruisse contendimus et permulta in ipsius cogitandi ratione inesse, quae mira videantur, quaeque aliis locis consona dici non possint, et lubenter concedimus et aliquoties animadvertimus. Nolumus autem, ut haec, quae observavimus, ita alia mira in virorum comparationibus, v. c. initio Sertorii, observationem, summos duces fuisse ἑτεροφθάλμους, ejusque sermocinationem, post temporis intervallum saepius easdem res redire, nolumus haec et alia plura cum Schlegelio coelo Boeotico tribuere:

velut si
egregio inspersos reprehendas corpore naevos.

Verum, ut pulcerrimis Plutarcheis verbis finem hisce observationibus imponamus: ταῦτα μὲν οὐ Πλουτάρχου κατηγορεῖν βουλόμενοι ἐγράφομεν, οἰκτείροντες δὲ τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως τὴν ἀσθένειαν, εἰ μηδ᾽ ἐν ἤθεσιν οὕτως ἀξιολόγοις καὶ διαφόροις πρὸς ἀρετὴν ἐκφέρειν δύναται τὸ καλὸν ἀνεμέσητον.

*

QUAESTIONES.

I.

Plutarchi in historia veri studio, inter alia maxime obfuit summa ipsius humanitas.

II.

Verissime *Pseudo-Plutarchus*, de educ. lib. c. 13 » ὥσπερ τὰ Φυτὰ τοῖς μὲν μετρίοις ὕδασι τρέΦεται, τοῖς δὲ πολλοῖς πνίγεται, τὸν αὐτὸν τρόπον ἡ ψυχὴ τοῖς μὲν συμμέτροις αὔξεται πόνοις, τοῖς δ' ὑπερβάλλουσι βαπτίζεται.''

III.

Minus probandus idem, l. l. dicens » πάντων μοι μάλιστα τὴν μνήμην τῶν παίδων ἀσκεῖν καὶ συνεθίζειν· αὕτη γὰρ ὥσπερ τῆς παιδείας ἐστὶ ταμεῖον.

IV.

Quaestura cum plebe communicata magnopere infregit Patriciorum in plebem potestatem.

V.

Tribuni plebis reipublicae Romanae usque ad Gracchorum tempora magis profuerunt, quam nocuerunt.

VI.

Fallitur *Eschenburg*, de Horatii Epistola ad Pisones dicens, maximam ejus partem ad scenam referri.

VII.

Notitia Judaeorum ad Graecos ante Alexandri tempora aut nulla aut levissima pervenit.

VIII.

Quam egregie Sophocles in tragoediis naturam humanam expresserit, optime ex persona Oedipi in Oedipo Tyranno et Coloneo apparere mihi videtur.

IX.

Haud assentimur iis, qui Sophoclis tragoediam Oedipum in Colono allegoriam esse dicant in praesentem Athenarum conditionem.

X.

Prorsus rejicienda videtur sententia Germani cujusdam in Blätt. für liter. Unterh. a. 1837, contendentis, Sophoclem, Philoctetem Olymp. 92. 3 edendo, significasse Alcibiadem Athenis restitutum et totum Philoctetis mythum ad Alcibiadis personam esse referendum.

XI.

Platonis propositum in Politia conscribenda proprie non fuit, ut optimam rempublicam conderet, sed ut justitiam exploraret.

XII.

Non reprehendendus Plato, modo ejus consilium rite intellexeris, eum Homerum aliosque poëtas e republica sua exclusisse.

XIII.

Egregie *C. T. Hermann*, in disp. de Socrat. mag. disc. juv. p. 52, » de Socratis philosophia sic habebimus, eum, quidquid in ea profecerit, vitandis potius, quam sequendis aliorum vestigiis profecisse, totamque doctrinae rationem ita instituisse, ut ipse magis omnium sequentium philosophorum magister, quam unius ex antecedentibus discipulus dici possit."

XIV.

Perversa eorum opinio est, qui statuunt, fabulas in Pindari carminibus esse digressiones a themate proposito carminis et inopia rerum Pindarum ad mythica esse delapsum: imo vero ipsius thematis in fabulis inest pulcerrima explicatio.

XV.

E loco *Thucydidis*, B. P. I. III, c. 19, ed. Goell. » προσδεόμενοι δὲ οἱ Ἀθηναῖοι χρημάτων ἐς τὴν πολιορκίαν καὶ αὐτοὶ ἐσενεγκόντες τότε πρῶτον ἐσΦορὰν διακόσια τάλαντα", ante Olymp. 88. 1. Athenienses ἐσΦορὰν non cognovisse, mihi videtur colligi non posse.

XVI.

Egregie *A. W. von Schlegel*, Krit. Schrift. t. I. p. 117, » das Uebermaasz positiver Gesetzgebung, das wenig oder

gar keinen Spielraum für die Entwickelung originaler Anlage übrig lässt, ist, wie im Staate, so auch in der Sprache, ein groszes Uebel."

XVII.

Quae in Sallustio vituperantur juventutis vitia et peccata, quamvis in majus adaucta, tamen non omnino a vero abhorrere, ex scriptis ipsius, quae nobis supersunt, apparere mihi videtur.

XVIII.

Sophoclis locum, Antig. v. 366-372 ed. Wund. ita interpungendum arbitror:

νόμους παρείρων χθονὸς
θεῶν τ᾽ ἔνορκον δίκαν· ὑψίπολις.
ἄπολις· ὅτῳ τὸ μὴ καλὸν
ξύνεστι τόλμας χάριν,
μήτ᾽ ἐμοὶ παρέστιος γένοιτο μήτ᾽ ἴσον φρονῶν,
ὃς τάδ᾽ ἔρδει.

Cff. Jahrb. von *Jahn*. 1838.

XIX.

Vere *Ulrici*, Char. der ant. Hist. p. 33, »die Perserkriege zogen die Gränze zwischen der poëtisch-mythischen und der historisch-politischen Welt der Griechen."

XX.

Optime idem, l. l. p. 48, de Xenophonte: »seine Absicht ist, den Staatsmann und Feldherrn durch grosze Vorbilder und Beispiele zu unterweisen und zu bilden, seinen Geist aufzurichten an den hohen Seelen der Vergangenheit, ihn in die mannichfaltigsten, schwierigsten Lagen und Verhältnisse zu führen, um ihm zu zeigen, was es im Menschen sei, das die Verhältnisse und Ereignisse beherrsche."